

05

A

1818





J.

D.  
J.

H.





Q. D. B. V.  
DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE

**JURE FŒMINÆ**  
LITIGANTIS IN FORO TUM  
CIVILI, TUM SAXONICO,

Quam  
Supremo favente NUMINE  
ex Decreto atq; autoritate

*Illustris ꝑctorum Ordinis in alma Wittebergensi*  
**ACADEMIA**

SUB MODERAMINE

**DN. G. MICHAELIS HEBERI,**  
J.D. & Antecessoris nec non Curia Provincialis,  
Scabinatûs & Facult. Juridicæ ASSESSORIS,  
**PRO LICENTIA**

Summos in Utroq; Jure Honores &  
privilegia DOCTORALIA consequendi

D. 13. Julii Anno M DC XCIII.  
publicæ eruditorum disquisitioni submittit

**HENRICUS ERNESTUS SEEBACH**

LongoSalz. Thuring.  
IN AUDITORIO MAJORI,  
Horis ante- & pomeridianis.

---

WITTEBERGÆ, LITERIS JOHANNIS WILCKII, Acad. Typogr.



ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS

in hac alma LEUCOREA  
inclutis membris,

VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis & Consultissimis*

DN. RECTORI,  
DN. DECANO,  
DN. ORDINARIO,

Cæterisq;

DNN. ASSESSORIBUS gravissimis,

*Dominis PATRONIS suis omni honoris cultu  
jugiter devenerandis*



Hanc Inauguralem Dissertationem  
in submissæ observantiæ tesseram

D. D. & C.

Henricus Ernestus Seebach.

05 A 1848





I. N. J.

TH. I.



Um ferè tribus abhinc an-  
nis in hâc alma Leucorea de ju-  
re liberorum in parentum ad-  
huc viventium bonis, themate  
theoretico magis, quàm practi-  
co, publicè disputaverim; nunc,  
ubi mihi pro summis in utroq;  
jure honoribus & privilegiis  
obtinendis contendendum est,  
de materia, quæ ad forum poti-  
us, quàm cathedram spectat,

tantò lubentiùs tractare constitui, quantò certius jurispru-  
dentia nostra non in nuda contemplatione subsistit, sed ad  
operationem & praxin progreditur. Placuit autem in præ-  
senti differere *de jure femina litigantis in foro tam Civili, quàm  
Saxonico.* Quod priusquam faciam, operæ pretium fore vide-  
tur, si ad meliorem thematis nostri intellectum evolutionem  
verborum, quibus res ipsa nobis proponitur, paucis præmi-  
sero.

Th. II. Vocabulum, juris ergo, uti aliàs variè accipitur *vid.*  
*Eckolt. ad ff. tit. de J. & J. §. 16. ibiq; Dn. Svendend. Colleg. Argent. ad*  
*eund. tit. tb. 5. Grot. de J. B. & P. L. 1. C. 1. Dn. Puffend. de J. N. & G.*  
*L. 1. C. 1. §. 20.* ita hoc loco significat qualitatem fœminæ mora-  
lem ex statu ejus naturali potissimum oriundam, quâ ipsi li-  
tiganti in foro aliud facere licet, aliud verò à lege injungi-  
tur *arg. L. 3. ff. de Stat. hom. & Rubr. Instit. de Jure person.* Si qui-  
dem omne jus personarum in his duobus summis capitibus,  
in potestate scilicet & obligatione consistit. *Vultej. ad S. 1. Inst.*  
*de jur. person. & in Jurisprud. Rom. L. 1. C. 10. §. 26.*

A 2

Th. III.

is,

mem

ach.





Th. III. Per fœminam autem, tanquam generalius verbum *pr. Inst. de Curat. Pruckman. ad L. 2. ff. de R. J. in proœm. n. 6.* intelligo tam virginem, quam illam, quæ virgo esse desit, atque in *L. 11. § 1. ff. de contrab. Empt. mulier vocatur. Conf. Barb. L. 26. Advers. c. 4.* imò & hermaphroditum, si sexus fœmininus prævaleat. *L. 10. ff. de Stat. hom. L. 15. § 1. ff. de Testib.* quia à potiori fit denominatio, aut si in dubio, uter prævaleat, ipse fœmininum elegerit. Si quidem tali casu electionem habet, *Sanchez. de Matrim. Lib. 7. D. 106. n. 6. Caranza de Partu C. 17. n. 68.* ne tamen aliis scandalum præbeat, sexum semel electum mutare nequit. *Sanchez. d. l. Gutierrez. de Matrim. c. 117. Zach. Lib. 3. Quest. Medicoleg. tit. 1. quest. ult. n. 1. § 2.* Quin potius, se altero uti nolle, juramento constringi solet ac debet. *vid. Illustr. DN. STRYK. de jure sensuum. Disp. 1. c. 1. n. 62.*

Th. IV. Cæterum produco fœminam litigantem, i. e. litem agentem, ubi tamen excludo (1) fœminæ contentionem extrajudicialem, quæ non minus quidem, quam judicialis controversia, lis appellari potest, *arg. L. 1. ff. de Jurejur. L. 21. in fin. ff. de R. C. L. 20. ff. de O. & A.* sed sensu magis vulgari, quam juridico, de quo *vid. Dd. ad L. Litis nomen 36. ff. de V. S.* nominatim autem ibi *Gædd. n. 3. 4. 5.* (2) alios actus judiciales, quibus fœmina in judicio quidem comparet, non tamen litigat, e. g. Testimonium perhibet, aut in genere actum aliquem voluntariæ jurisdictionis exercet, de quâ voluntariâ jurisdictione *vide DN. Lauterbach. Disp. 29. Vol. 1.* (3) processum criminalem, quem itidem litis vocabulo latè accepto designari, non quidem ignoro, *arg. pr. Inst. de Oblig. quæ quæsi ex del.* ideò tamen, quod accuratè loquendo tantum processus civilis litis nomine veniat. *L. 1. ff. de Testib.* & deinde, ne præsens Dissertatio cum lectoris tædio in nimiam molem excrescat, de industriâ sicco pede prætereo. in præsens consideraturus tantum fœminarum Processum civilem. Quemadmodum autem hic in legitimo certorum actuum ordine consistit; ita hi ipsi actus *vel Essentiales* sunt, ut personæ litigantis Habilitatio sive rectius Legitimatio, Judicio competentis aditio, Citatio, Litis contestatio, Probatio & Reprobatio, Conclusio causæ,



causæ. Actorum irrotulatio & Sententiæ latio, *vel Accidentales, ut:* Transactio, Libelli repetitio & emendatio, Dilationum impetratio, Contumaciæ accusatio, Exceptionum oppositio, Gvarandæ præstatio, Satisfactio, Litis denunciatio, Nominatio, Interventio, Attestatorum disputatio, Juramentum calumniæ, Litis reassumptio, Reconventio, Sententiæ latae impugnatio. Sunt autem ex his actibus *quidam Antecedentes*, ut: personæ litigantis legitimatio, Judicis competentis aditio, atq; Citatio; *Quidam concomitantes, ut:* Comparitio, Repetitio & Emendatio libelli, Accusatio contumaciæ, Exceptionum oppositio, Gvarandæ præstatio, Satisfactio, Litis denunciatio, Nominatio, Interventio, Dilationis impetratio, juramenti calumniæ præstatio, Litis contestatio, Probatio & Reprobatio, Attestatorum disputatio, Conclusio causæ, Actorum irrotulatio, Sententiæ & Reconventio: *Quidam Consequentes, ut:* Transactio, Executio, & Sententiæ impugnatio. *Vid. Process. Fibig. ibiq; Dn. Svendend. p.m. 27. Conf. Vultej. Jurispr. Rom. lib. 2. cap. 27. & seqq.*

Th. V. Forum deniq; hic est locus exercendarum litium, *cap. Forus 10. X. d. V. S. nobisq; non secus atq; jus ipsum vid. Siruv. Ex. 2 th. 32. seqq.* in Civile, & Saxonicum, hoc autem iterum in Commune atq; Electorale dividitur, cujus differentias exhibet Tractatus, cui tit. *Jus Saxonicum discrepans.*

Th. VI Sed relicto nunc verborum cortice, tangemus ipsius rei nucleum, quam ita commodissime tractari posse credimus, si actus processus Civilis supra recensitos ordine percurramus, & si quid singulare de fœminis circa unum alterumve aut lege constitutum, aut consuetudine introductum deprehendamus, illud brevi observatione diligenter annotemus. Cum autem ex actibus civilem processum antecedentibus primum locum obtineat *Personæ litigantis legitimatio*; merito etiam omnium primum videndum, quomodo fœmina ad controversiam in judicio tractandam sese aptare debeat. Id quod, ut tanto clarius evadat, ita casus distinguendi videntur: aut fœmina *suo*, aut *alieno* nomine litem suscipit, & priori casu iterum *aut ipsa* in judicio comparere



constituit, aut per alium. Dispicendum igitur (1) An & quomodo fœmina ipsa personam standi in iudicio habeat? (2) An & quomodo per alium comparere possit? & deniq; (3) num & quatenus ipsa alieno nomine se in iudicio sistere queat?

Th. VII. Primum, quod attinet, de jure Civili certum est, fœminas causam propriam suo periculo in foro tractandam & ventilandam solas suscipere posse. *L. 4. C. de Procur. Nov. 134. c. 9. pr. Coler. P. 1. Dec. 67. n. 13. Berlich. P. 2. Concl. 17. n. 13. Carpz. de jur. fœm. sing. dec. 9. posit. 2. n. 8. seqq.* De Jure Saxonico autem fœmina, etiam in causa propria, non nisi cum Curatore, quem Longobardi *Mundualdum* vocant, Germani verò einen Kriegischen Vormund / in iudicio admittitur. *Landr. Lib. 1. art. 43. & 44. Coler. cit. l. n. 17. Pruckmann. vol. 1. Conf. 48. num. 194. Wibel. de contract. mul. c. 3. §. 8. n. 4. seqq. Carpz. de Donat. Gerad. hb 29.* Præterquam enim, quod litigantes in iudicio quasi contrahere dicantur *L. Licet tamen. 3 §. 11. ff. de Pecul. mulieres* autem in Saxoniâ sine Curatore contrahere nequeant; etiam fœminæ nullibi magis, quàm in causis forensibus propter fatalia & nullitates, metuenda est læsio, ad quam ipsam tamen avertendam illi ex singulari favore jura Saxonica Curatorem constitutum voluerunt. *Constit. El. 15. P. 2. ibi: unschädlich und unnachtheilich seyn. item ibi: damit sie aus Mangel gutes Raths und bedachts nicht übereilet und hintergangen werden möchten. Conf. Landr. Lib. 1. Art. 43. 44. & 46. Gloss. Ordin. in Landr. Lib. 3. art. 30. n. 4.*

Th. IIX. Quemadmodum autem hæc Juris Saxonici dispositio Declarationibus, Ampliationibus, nec non Limitationibus suis non destituitur; ita has, tanquam ubivis à Dd. Juris Saxonici ad nauseam usq; tractatas, hîc delibâsse tantummodo nobis sufficiat. Declaratur autem assertum nostrum (1) statim ita, ut actus mulieris in iudicio sine Curatore celebratus ipso jure nullus & usque adeo invalidus sit, ut ipsa exinde nunquam efficaciter teneatur, sed pro lubitu pœnitere possit, & quamvis, dum in vivis fuit, actui non contradixerit; attamen heredes ejus illum impugnare nunquam prohibeantur, juxta vulgatum juris: *Quoties factum defun-*



defuncti ipso jure invalidum fuit, toties heredi contra illud venire licet. vid. Carpz. Disput. de Donat. Gerad. th. 29. n. 42.

Th. IX. Tametsi autem, quod pro Declaratione (II) notandum, aliàs de Jure Saxonico contra Jus Civile L. 2. C. Quidam. Tut. L. 4. C. de Excus. Tut. L. 14. ff. de Curat. fur. maritus statim post copulam sacerdotalem fiat uxoris suæ Curator legitimus iher. Ehelicher Vormund vid. Land N. L. 1. art. 31. & 45. L. 3. art. 4. ibi: Der Mann ist auch Vormund seines Weibes zu Hand als sie ihm getrauet wird / hoc videlicet effectu, ut solius ejus interventu sine ullo alio Curatore firmiter contrahere possit, nisi forte alium sibi ad omnes causas Curatorem elegerit, aut in mariti utilitatem contraxerit, adeoq; alius Curatoris autoritate opus sit. Decis. Elect. 24. vid. Carpz. P. 2. C. 15. d. 10. & seqq. attamen in actibus judicialibus maritus, etiamsi huic uxor absq; alterius Curatoris autoritate litem in judicio demandaverit, Carpz. de jur. fœm. Decad. 9. pos. 2. n. 39. tanquam Curator uxoris suæ non admittitur, nisi cum cautione rati, aut nisi in specie Curator ejus a judice constitutus sit. Ord. Proc. Elect. Saxon. tit. 7. §. wir lassen aber. & tit. 8. in fine. Carpz. tit. 5. art. 6. n. 31. seqq. & in Disput. de Gerada th. 31.

Th. X. Declaratur supra posita thesis (III) ut mulieri Curator ad litem, der Kriegische Vormund, constituatur a judice competente, quoniam actus jurisdictionis contentio-  
sæ est Carpz. tit. 2. art. 1. n. 45. non secus atq; tutoris datio L. 1. §. 4. L. fin. §. 1. & 14. de mun. & honor. Carpz. d. l. n. 41. Lauterb. disput. de Volunt. jurisd. th. 5. Bardili Conclus. Theoret. Pract. Ex. I. th. 18. Est autem hoc loco judex competens, qui (1) jurisdictionem ordinariam habet arg. Recess. Imp. de anno 1548. tit. 32. §. So wollen 2c. Ord. Pol. de anno 1577. tit. 32. etiam inferiorem, die Erb- und Nieder. Gerichte Carpz. tit. 5. art. 3. n. 39. & L. 3. Resp. 12. n. 20. Unde & Curatoris constitutio mandari potest arg. L. 1. pr. ff. de Offic. ejus, cui mand. & c. Recess. Imp. de anno 1548. 1577. tit. von den Minderjährigen. (2) sub quo fœmina forum sortitur, & quidem generalem Curatorem, qualis in dubio & simpliciter ad litem datus esse intelligitur, L. 3. §. 2. ff. de Tutel. Carpz. P. 2. C. 15. d. 27. n. 2. Berl. P. 2. Conclus. 18. n. 6. constituit judex, cujus jurisdictioni  
illa



illa immediatè subest *Carpz. de jur. fem. Decad. 9. pos. 2. n. 30. &*  
*L. 3. Resp. 12. n. 21. seqq.* ratione domicilii tum Naturalis, tum Ac-  
 cidentalis. Istud autem domicilium Naturale seu Originis  
*arg. L. un. C. Ubi petant. tut.* non ex loco natiuitatis, sed loco do-  
 micilii (& hoc deficiente originis) patris *L. 3. C. de Municip.*  
*Carpz. P. 1. Decif. 1. n. 18. seqq. Struv. Ex. 9. tb. 17.* etiam adhuc hodiè  
 iudicatur, nec, nisi de contraria voluntate apertè constet,  
 mutatum præsumitur *Carpz. tit. 3. art. 1. n. 11. & L. 2. Resp. 21. n. 14.*  
*Frantz. Lib. I. Resol. 16. n. 44.* ita, ut e. g. Senatus Academicus  
 fœminæ apud cognatos in Academia commoranti, si nec i-  
 psa facultates ibidem sitas, nec pater ejus ibidem domici-  
 lium habuerit, Curatorem non rectè constituat. *arg. L. un. C.*  
*Ubi petant tut. Bardili Conclus. Theor. Pract. Ex. I. tb. 19.* Acciden-  
 tale autem mulieris domicilium est vel Necessarium, vel Vo-  
 luntarium. Necessarium est forum mariti, quod justis nu-  
 ptiis acquisitum *L. 19. de jurisdict. L. 32 ff. ad Municip.* post mor-  
 tem ejus usq; ad vota secunda retinet *L. 22. §. 1. eod.* ita ut viduis  
 Pastorum nostrorum rectè a Consistoriis Ecclesiasticis Cura-  
 tores constituentur *Carpz. L. 3. def. 15.* Voluntarium autem fœ-  
 minæ domicilium est locus, in quo illa ex libera voluntate  
 habitare incepit eo animo, ut ibi perpetuò consistat, si nihil  
 avocet. *Vid. Struv. Ex. 9. tb. 20. seqq. Lauterb. ad ff. p. m. 101.* Cum-  
 que hoc domicilium semel constitutum conservet animo,  
 quamvis aliquandiu ibidem non habitet; idcirco illud & re-  
 legata retinet *L. 27. §. ult. ad Municip. vid. Struv. Ex. 9. tb. 31. & con-*  
 sequenter ibi generalem Curatorem recipere tenetur. Cæte-  
 rum quemadmodum talis in foro domicilii fœminæ ad o-  
 mnes lites datus Curator etiam extra domicilii locum offi-  
 cium suum exercere potest, *arg. §. 17. Instit. de Excus. tut. L. 21. §.*  
*2. ff. eod. Carpz. tit. 5. art. 3. n. 41.* ita, cum mulieris personæ, non  
 autem bonis ejus Curator detur; idcirco non, nisi deficiente  
 domicilii foro, a iudice bonorum constituendus est. Tunc  
 enim ubi major pars bonorum sita, ibi etiam domicilium esse  
 præsumitur. *Brunnem. ad L. fin. C. ubi petant tut. n. 6. Specialem*  
*Curatorem quod attinet, hic ad certam causam vel litem, &*  
 quidem non nisi ab illo iudice constituitur, ad quem cog-  
 nitio



tio causæ istius pertinet *arg. L. ult. §. 1. C. de Admin. tut. & Brun-  
nem. ibi n. 2. Carpz. tit. 5. art. 3. n. 44. & L. 3. Resp. 12. n. 23. seqq. Mül-  
ler. ad Constit. Elect. 15. P. 2. n. 8. Berl. P. 2. Concl. 18. n. 3. Mynsng. 1.  
Obs. 87.* Atq; hæc ita in foro Saxonico communi etiamnum  
obtinent, in foro Electorali autem hodie per nov. Decis. 59.  
res ita se habet: *Generalem* Curatorem iudex domicilii & bo-  
norum constituit; *Specialis* verò non minus a domicilio &  
bonorum; quam istius loci iudice dari conceditur, ubi con-  
tractus celebrandus aut lis tractanda est. Quod autem reli-  
quum est, hic ordinarius Curatorem ad litem constituendi  
modus, quem iudex expedire solet, eapropter non statim  
excludit alium, ita, ut si maritus uxorem heredem instituat,  
eiq; Curatorem ad litem det, hic perinde, ac si a iudice fue-  
rit constitutus, ad litem agendam admittendus sit. *arg. L. 1. §.  
1. & L. 4. ff. de Confirm. tut. modo tamen confirmatio magistra-  
tus accesserit. t. r. ff. & C. de Confirm. tut. L. 2. & 7. §. 1. ff. L. 1. C. eod.  
Mev. P. 2. Decis. 168.*

Th. XI. Declaratur (IV) ut si Curatoris constitutio a ne-  
mine petita fuerit, iudex ex officio fœminæ Curatorem ad  
litem constituere debeat, ne, si postea mulier de hujus defe-  
ctu excipiat, iudicium reddatur elusorium. *Const. El. 15. P. 2.  
Ord. Proc. tit. 8. §. Do sie aber zc. Carpz. de jur. fœmin. Decad. 9.  
pos. 2. n. 26. seqq. arg. L. 1. C. Qui pet. tut. Petunt autem Curato-  
rem vel ipsæ fœminæ, vel alii, quorum interest, e. g. pars ad-  
versa, quæ ad nullitatem processus evitandam ante omnia  
fœminis Curatorem ad litem constitui curent. Carpz. Decad. 9.  
pos. 2. n. 16. Ipsæ autem mulieres implorant iudicem vel præ-  
sentes oretenus; vel absentes per literas, Carpz. P. 2. C. 15. d. 28,  
n. 7. quas non tantum illæ propria manu, aut si scribere ne-  
sciant, per Notarium; verum etiam futuri Curatores ad con-  
sensum suum declarandum ipsimet subscribere solent. Nec  
enim invitus quisquam ad hanc curatelam suscipiendam re-  
gulariter cogi potest. *arg. L. 3. §. 2. ff. de Tutel. L. 2. §. 3. ff. de Curat.  
bon. L. 17. C. de Procur. L. 8. §. 1. ff. eod. Carpz. P. 2. C. 15. d. 28. Wibel. de  
Contract. mul. Cap. 3 §. 6. n. 88. Nisi (1) speciali Principis rescri-  
pto adigatur, L. 2 §. 3. ff. de Curat. bon. arg. C. 2. X. de Major. & obed.**

B

aut



aut (2) non alius magis idoneus inveniatur & hic justam excusandi se causam allegare nequeat. *Bald. in L. 1 ff. ubi pupill. e dnc.* aut (3) nullus voluntarius inveniatur *L. 2. §. 3. ff. de Curat. bon. arg. L. 5. §. 11. & seqq. ff. de Nov. oper. nunc.*

Th. XII. Declaratur (V) ut constituatur Curator idoneus, qualis fere in genere erit, qui non prohibetur fieri Curator minoris. Admittitur tamen ad hanc curatela etiam (1) maritus tam de Jure Saxonico *Carpz. tit. 5. art. 6. n. 31.* quam moribus Germaniæ *Vid. Sande L. 2. Decis. tit. 4. def. 3. Gudel. de jur. novis. L. 1. C. 7.* (2) mulieris Creditor aut debitor, cum enim plane non administrant, sed tantum litigantibus assistant *Gail. L. 2. O. 107. n. 1. Carpz. P. 2. C. 15. d. 33. & P. 2. C. 24. d. 15.* nulla fraudis suspicio, adeoque nec ulla prohibendi ratio subest. (3) Judæus, qui non tantum Judæus, *arg. L. 8. C. de Jud. Confer. Barbos. ibid.* verum etiam Christianæ curator ad litem constitui potest; partim, quod iterum cesset prohibendi ratio, scilicet potestas in personam & administratio bonorum, ob quam alias a Christianorum tutela & curatela arcetur. *Vid. tamen Hartm. L. 2. Obs. 15. n. 6.* partim quod Judæus etiam procurator esse queat. *Hartmann. cit. l. Vid. tamen dissentientem Mynsing. Cent. 2. O. 13.*

Th. XIII. Declaratur (VI) quod Curator noster consensus & auctoritatem suam ad personam mulieris integrandam in ipso actu præsens expressis verbis interponere debeat, adeoque nec solus consensus sine auctoritate, nec anticipatio vel rati habitio, nec procurator, nuncius aut epistola, nec denique sola præsentia corporis sufficiat *arg. Const. Elect. 15. P. 2. & L. 1. §. 2. de autor. tut. Conf. Montan. de Tutel. Cap. 30. n. 28. & seqq.*

Th. XIV. Declaratur (VII) ut fœminæ, etiam si personam standi in judicio non habeant, nihilominus tamen una cum Curatore se sistere queant *Carpz. tit. 5. art. 3. n. 67. & Decad. 9. pos. 5. n. 1. & seqq.* imo & omnibus illis in casibus necessario simul comparere debeant, in quibus alias speciali mandato opus est. Formulam pronunciandi vide infra Th. 23

Th. XV. Declaratur (VIII) ut quicquid Curator præsentente atque intelligente, tacente tamen, fœmina in judicio dicit,



dicit, id ipsa dixisse censeatur tam in sui commodum, quam præjudicium *L. 1. § 3. C. de Error. Advocat. arg. L. Qui patitur 18. ff. Mandat.* Unde confessio Curatoris præjudicat fœminis non secus atqve Confessio Advocati clientibus. *Mascard. de Probat. Concl. 381.* quod tamen ex *Donello L. 18. C. 4. Lit. A.* ita limitandum, nisi quid falsi dixerit dolosè aut ab Adversario dictum admiserit *arg. L. 33. ff. de Rejud. Confer infra Th. 46.*

Th. XVI. Declaratur (IX) ut si in genere plures uni fœminæ sint dati Curatores, ad unum omnes eidem in iudicio adesse, aut conjunctim certum actorem constituere, aut uni ex illis vices suas demandare debeant, cum unus, si reliquorum nomine personam suam legitimare nequeat, in Camera Imperiali & Curis Provincialibus non admittatur. *Carpz. tit. 5. art. 3. n. 81. seqq.* Nisi (1) in causis, quæ moram non patiuntur, ut Arrestis & similibus, ita tamen, ut in Processu postmodum etiam reliquorum Curatorum consensus accedat. *Carpz. d. l. n. 88. seqq.* aut nisi (2) alter ex Curatoribus absens sit, ubi tamen, num solus præsens admittendus sit, arbitrio iudicis relinquitur, ac desuper pronunciandum est. *Ord. Proc. tit. 9. §. Burden sie auch jemand 2c.* aut nisi (3) unus reliquorum curatorium cassatum esse docere possit. *Vid. Philipp. ad Ord. Proc. tit. 8. n. 2. §. seqq. item ad Decis. Elect. 24. Obs. 1. aut nisi denique (4) constituti fuerint cum clausula Sambt und Senders.* *Conf. Gylman. tom. 3. Sympb. fol. 81. & Ruband. de Commissar. tom. 1. part. 2. C. 24. n. 4. fol. 148.*

Th. XVII. Declaratur (X) ut si unus vel plures ad certam litem dati fuerint curatores, curatela horum statim expiret, simul atq; generalis ad omnes causas Curator constituitur, quia generalis hæc curatela similis est tutelæ *arg. L. 90. §. 1. ff. de A. vel O. H. quæ divisionem non recipit, sed omnes omnino causas comprehendit.* *Carpz. P. 2. C. 15. d. 29.*

Th. XVIII. Declaratur (XI) ut officium Curatoris nostri variis finiatur modis, utpote (1) lite, ad quam datus fuit, finita. *Coler. P. 1. Decis. 67. n. 37. seqq. arg. C. cum cessante. 60. X. de Appell.* (2) morte naturali atqve civili tam Curatoris quàm Curandæ, *arg. §. 3. & 4. Instit. Quib. mod. tut. fin. L. 16. §. ff. de Tutel.* (3) Officio



Judicis, quando vel Curator ex justa causa liberationem petit, eamque impetrat. *Vid. Möll. Semestr. L. 4. C. 24.* vel ipsa mulier alium sibi curatorem constitui efflagitat, vel denique magistratus Curatorem suspectum ex officio removet. *arg. L. 4. §. 4. ff. de suspect. tut.* Nonnulli huc etiam referunt illum casum, si mulier nupserit aut ad secunda vota transierit. Sed quamvis de Jure Saxonico ipse maritus uxoris suæ Curator legitimus fiat; attamen cum tantum extrajudicialis sit *vid. supra th. 9.* neutiquam Curatoris nostri judicialis officium cessare facit, nisi forsitan etiam ipse uxori suæ ad litem Curator constitutus sit.

Th. XIX. Postquam haftenus declaravi, quomodo mulier in Saxonia non nisi cum Curatore in judicio stare possit, consequens est, ut nunc subjiciam ampliationes. Est autem dicta assertio usque adeo vera, ut (1) nec mulieribus, si proprio periculo huic Juris Saxonici dispositioni contravenire velint, illud indulgendum sit, quoniam formæ a statuto inductæ renunciari non potest. *Carpz. Decad. 9. Pos. 2. n. 5. Berl. P. 2. C. 17. n. 58.* Quod si tamen mulier juraverit, se nolle iudicio contravenire, ipsa quidem propter Jus Canonicum tenebitur ad instar minoris, de quo *vid. Simoncell. de Decret. in Contr. abt. min. adhib. Lib. 3. tit. 8. n. 152. & 153.* ejus heredes tñ. ex iude non obligantur. *vid. supra th. 8. in fin. Confer. Carpz. P. 2. C. 13. d. 1. & C. 15. d. 1.* (2) ut non interfit, agantne foeminae, an reorum vices sustineant *Carpz. tit. 5. art. 3. n. 52. & 53. item de jur. foem. Decad. 9. pos. 2. n. 21. seqq. Conf. Constit. Elect. 15. P. 2. pr. ubi: Sie halten gleich Klägerin oder Beklagten statt.* Cur enim illis si conveniuntur favoris quicquam denegandum foret, cum cæteroquin reis jura magis semper faveant, quam actoribus *C. Cum sunt 11. X. de R. 7. in 6. L. 23. ff. eod. L. 38. ff. de Rejud.* (3) ut non attendatur, cujus ætatis sit foemina, sive minoris sit, sive majoris: item sive sit vidua, virgo aut conjugata *Const. 15. P. 2. Berl. P. 2. C. 17. n. 15. Carpz. tit. 5. art. 3. n. 54.* (4) ut etiam extranea foemina, si quem in foro Saxonico convenire velit, absque Curatore non admittatur. *Carpz. tit. 5. art. 3. n. 55. seqq. & Lib. 3. Resp. 13. Berl. P. 2. C. 17. n. 57.* (5) ut nec in  
Judæa



Judza aliud obtineat, quia Judzi, uti hodie in Germania cives sunt; ita juris statutarii, ubi commorantur, participes fiunt non tantum in odiosis, sed etiam in favorabilibus L. 7. § 8. C. de Judzis. vid. Wibel. de Contract. mulier. Cap. 2. n. 36. § 37. ibi big. alleg. Dd. (6) ut etiam foemina invitæ Const. Elect. 15. P. 2. arg §. 2. Instit. de Curat. & consequenter absenti quoque & ignorantibus arg. L. 26. de R. J. Curator dari possit. Carpz. P. 2. C. 15. d. 28. Mev. ad Jus Lub. L. 1. tit. 7. art. 11. n. 8. (7) ut nec mercatrix in judicio sine Curatore admittatur, quia, tamen extra judicium sine illo contrahere valeat Const. Elect. 15. P. 2. vers. Sinesonderheit 2c. Carpz. ibi def. 16. eo ipso tamen necessitati in judicialibus Curatorem adhibendi non eximitur, sed potius firmiori vinculo alligatur, dum regulam exceptio in casibus non exceptis confirmat. Vigel. in Dial. Jurid. p. 330. De Jure Lubecensi tamen mulieres mercatrices sine Curatore in judicio stare posse, asserit Mevius L. 1. tit. 7. art. 8. n. 28. seqq. § tit. 10. art. 1. n. 57. § 62. item L. 3. tit. 6. art. 21. n. 26. (8) ut etiam foeminae tutrices non sine Curatore litigare valeant. Schultes. ad Modest. Pistor. quest. 27. P. 1. in fin. Berl. P. 1. C. 17. n. 63. add. Tiraquell. de LL. connub. Gloss 5. n. 176. Wibel. de Contract. mul. Cap. 3. § 6. n. 22. Tamen enim ita munus virile sustineant; ex eo tamen non statim personam standi in judicio consequuntur, nam & Procuratorem agere, officium virile est, nec tamen in istis casibus, ubi de Jure Civili Procuratrix esse potest, de Jure Saxonico sine Curatore admittitur. Confer. Berl. Part. 1. Conclus. 14. num. 48.

Th. XX. Hæc omnia tamen iterum Exceptiones suas patiuntur (1) in foeminis illustribus, quæ cum pro tribunali sedendo virile officium sustineant, & non tantum innatam quasi prudentiam quotidiana cum sapientibus conversatione acuant, verum etiam consiliariis suis ut plurimum doctis & jurejurando sibi obstrictis ubique juventur, curatore plane non indigent. Carpz. tit. 5. art. 3. n. 61. seqq. Quod si foemina nec consiliarios habeat, nec ullam jurisdictionem exercent, etiam si alias illustris sit, nihilominus tamen Curatorem recipere tenetur Carpz. Decad. 9. pos. 4. n. ult. Conf. Schulz. in tr. de Obsign.



Et de pos. pecun. c. 1. n. 56. (2) in Arrestis & assecurationibus, quas foemina etiam absq; Curatoris interventu validè petere & impetrare potest. *Carpz. tit. 5. art. 3. n. 70. seqq.* quippe quod nunquam non foeminae proficit. Quicumq; autem actus mulieri non nisi utilis esse potest, illum etiam hæc sine Curatore expedire valet. *Carpz. cit. l. n. 72. arg. L. 6. C. de LL. Conf. Myns. Cent. 2. Obs. 36.* (3) in illis causis, ubi etiam minor, cui mulier in Saxonia æquiparatur, *Matth. Coler. Conf. 8. n. 182. & 153. Zanger. de Except. p. 3. C. 11. n. 194. seqq. Wesenb. Conf. 25. p. 1. n. 16.* sine Curatore personam standi in judicio habet. Utpote (a) in causis criminalibus & matrimonialibus E. g. processu desertorio in tantum, ut nec si velit per Curatorem aut alium comparere, hic admittatur, sed præcisè ipsius præsentia requiratur, *arg. L. 2. C. Qui legit. pers. stand. L. pen. §. 1. ff. de publ. jud. C. ult. de jud. in 6. C. 14. X. de Restit. spol. Hillig. ad Donell. Lib. 17. C. 4. lit. R. Carpz. tit. 5. art. 3. n. 74. seqq. item Lib. 3. def. 31. & 65. in Pr. Crim. quest. 105. n. 61. seqq.* (b) in momentaneo possessorio sive retinendæ sive recuperandæ possessionis *L. ult. C. qui legit. person. stand. & ibi Perez. n. 6. L. 18. C. Unde vi. L. ult. C. qui legitimam person. stand. Donell. Lib. 17. C. 4. & ibi Hilliger lit. P.* (c) in causis privilegiatis E. g. alimentorum, ubi judicis officium nobile sola implorare potest. *L. 1. C. de aliment. pupill. præst. Coler. de Aliment. L. 3. C. 3. n. 5.*

Th. XXI. Vidimus itaq; an & quomodo foemina ipsa personam standi in judicio habeat? Nunc verò progrediendum atq; dispiciendum ulterius, an & quando per alium comparere possit? Et quidem nullibi in jure hoc facere prohibetur, in tantum, ut etiam invita ad se in persona sistendam regulariter cogi nequeat. *Vid. L. 1. & Auth. sed hodie C. de offic. divers. jud. ibiq; Brunnem.* Sed verò quomodo personam aliam suo nomine ablegare debeat, non ita ubivis sufficienter liquet. In genere tamen notandum est, quod foemina in Saxonico foro vel per patrem, qua talem, vel etiam per tutorem aut Curatorem, vel per Actorem, vel per procuratorem suum aut Syndicum, vel deniq; per conjunctam personam validè comparere possit. Verum pater, qua talis filia nomine tum demum in judicio admittitur, si jure patriæ potestatis in Bæ  
terlia



terlicher Gewalt seiner Tochter compareat. *Vid. Lauterb. ad ff. tit. de jud. p. 97.* nec enim pro emancipata aliter, quam cum cautione rati litem suscipere potest, uti intelligenda Ordinatio Processus tit. 7. §. wir lassen etc. *Dn. Svendendorff. ad Proc. Fibig. p. m. 242.* Nec etiam, quod obiter noto, casu priori accurate satis dicitur: *Sempronius* erscheinet in natürlicher Vormundschaft seiner Tochter *Mevia*, siquidem in potestate existenti tutor dari nequit *pr. Inst. de Tutel. L. 6. §. ult. ff. eod. L. 28. ff. de testam. mil. Conf. Carpz. de Arbor. consanguin. Disp. 2. Cap. 7. tb. 24. n. 12. seqq.* Quod si verò pater tutorio nomine filiz suæ, quam impuberem emancipavit, se judici sistat, omnino tunc dicere potest: *Titius* erscheinet in natürlicher Vormundschaft seiner Tochter *Mevia*. quo casu tamen non secus atq; tutor alius pro legitimatione sua tutorium vel in originali, vel in vidimata copia exhibere tenetur, quo, si vi patriæ potestatis agit, plane non opus est. *Vid. Carpz. tit. 5. art. 3. n. 2. §. 11. item de Arbor. consangu. Disp. 2. Cap. 7. tb. 24. n. 16.* Cæterum si pater, qualis, vices suas alteri demandare velit, quod facere non prohibetur, mandatum in judicio producendum ita concipi debet: Ich Endesbenandter in väterlicher Gewalt meiner Tochter *Cajæ*, vor mich / gedachte meine Tochter / ihre Erben und Erbnehmen gebe hiermit etc. Nam sicuti in actorio tutor non suorum, sed pupilli *Dn. Svendendorff. ad proc. Fibig. p. 213.* ita in præsentis constitutione pater non suorum, sed filiz suæ heredum mentionem facere debet, quippe non tantum tutela, sed etiam potestas patriæ jus personalissimum est, quod ad heredes non transit, sed cum persona tutoris aut patris expirat.

Th. XXII. *Per tutorem pupillam, atq; per procuratorem minorenem comparere posse, juris expediti est. Id tantum hic observatu dignum, quod ibi tutor omnia sua autoritate; hic verò ipse minor cum consensu Curatoris agat. Brunnem. ad L. 2. C. Qui legit. pers. stand. vide tamen eundem ad L. 1. ff. de Admin. tit. Curator autem fœminæ ad litem datus, de quo jam supra satis abundè actum, non secus atq; minorum curator admittitur quidem pro curanda sua in judicio, etiam illo, à quo ex-*  
tra-



traordinarii Advocati & procuratores alias repelluntur; *Carpz. p. 3. Decis. 202. n. 17. seqq* ubiq; tamen ad evitandam processus nullitatem *vid. L. 4. C. In quib. caus. restit. in integr. non necess. Vultej. Jurispr. Rom. L. 2. C. 30.* personam suam statim in limine judicii per Curatorii exhibitionem legitimare *Carpz. tit. 5. art. 3. n. 18. seqq. Ord. proc. tit. 7. pr. verb. die Curatoria oder Tutoria* alsobald mit dem ersten Satz einzugeben *ic. aut si ab eodem, coram quo litigatur, iudice datus sit, constitutionem suam ad minimum ad acta allegare tenetur* *Carpz. tit. 5. art. 5. n. 36. seqq.* alias à iudice etiam ex officio repellitur tali sententia: Daß klagender Curator vor allen Dingen durch Vorlegung eines richtigen Curatorii seine Person zu legitimiren schuldig. Et Advocatus, qui Curatorium aut plane nullum, aut non statim cum prima positione mit dem ersten Satze ad acta ponit, pro prima vice multa 5 Imperial. pro secunda 10 & sic porro deinceps puniri debet. *Ord. proc. cit. l. Quod ex parte Actoris eo extensum hodie, ut statim cum ipso libello Curatoria iudici offerenda sint per Resol. gravam. tit. von Justitiensachen §. 17.*

Th. XXIII. Quemadmodum autem in causis, ubi foemina per Curatorem suum generalem comparere valet, ad personam hujus legitimandam præter Curatorium alio Curanda mandato haud opus est; *Carpz. tit. 5. art. 3. n. 90.* ita dantur casus, ubi speciale mulieris mandatum & subscriptio omnino requiritur, utpote (1) si mater tutrix nomine pupillorum suorum per alium in iudicio agere velit. *Carpz. d. l. n. 96. & tit. 5. art. 4. n. 49.* (2) si actus alias speciale mandatum requirat, ut recognitio documentorum, juramenti de- & relatio *Setzer. de juram. Cap. 4. n. 34. Carpz p. 3. decis. 229. n. 27. seqq.* Nam quicquid non generalis procurator, illud nec foeminae generalis Curator facere potest. Unde E. g. tali casu pronunciari solet: Daß die angemachte Recognition zu recht nicht beständig / sondern es ist Beklagte entweder nebst ihrem Curatore in Person / oder vermittelst eines zur Recognition insonderheit bestätigten Curatoris, oder auch mit dergleichen Macht erscheinenden Actoris, dessen actorium so wol von der Principalin, als dero allbereis



reit habenden *Curatoren* zugleich unterschrieben und besiegelt/  
 die *producirte documenta* zu *recognosciren* schuldig. Tametsi  
 verò tali casu ipsa mulier unà cum Curatore actorem con-  
 stituere jubeatur, hic tamen non revera actor, sed potius  
 mulieris procurator erit, qui, uti inferius demonstrabitur,  
 etiam in Saxoniam à fœminis constitui potest, & cæteroquin  
 ab actore toto cœlo differt. Nam Procurator datur non nisi à  
 Domino *l. 1. pr. ff. de Procur.* Actor autem à non domino E. g.  
 Tutore, Curatore, Syndico *§. ult. Inst. de Curat. l. 13. ff. de Tutel.*  
*l. 24. ff. de Admin. & peric. tut. l. 9. ff. Rem rat. hab. l. 11. C. de Pro-*  
*cur.* Et quamvis ab his post litem contestatam, per quam litis  
 domini fiunt *arg. l. 22. & 23. C. de Procur.* de jure civili etiam  
 procurator constitui possit *l. 11. C. eod.* quin imo hanc procu-  
 ratorem substituendi facultatem mulieris curatori, tanquam  
 generali procuratori, indistincte asserat *Mevius p. 5. dec. 295. &*  
*Brunnem. ad l. 24. C. de Admin. & peric. tut. n. 6.* attamen de jure  
 Saxonico Electorali tam ante, quam post litem contestatio-  
 nem tantummodo Actor datur propter generalitatem tex-  
 tus *Ord. Proc. tit. 9. vers.* würden sie auch jemand anders Voll-  
 macht aufstragen wollen/sollen sie nicht einen Anwalden / son-  
 dern Actorn in oder aufferhalb Gerichts verordnen. Deinde  
 Procurator ad lites omnes tam præsentis, quam futuras *l. 3.*  
*40. pr. ff. eod. Cap. pen. X. eod.* Actor autem ad præsentis tan-  
 tum constitui potest. Cum enim ab actu dicatur, idcirco,  
 si is non actu, sed in potentia esset, nomen actoris verificare  
 non posset secundum *Calvol. §. Actor pupilli. Conclus. Aur. 1. n. 3.*  
 & 4 Deniq; etiam differunt ratione modi constituendi, quia  
 procuratorium nomine heredum constituentis concipitur,  
 quod secus in actorio, ubi E. g. tutor aut Curator mulieris  
 non suorum, sed pupilli aut Curandæ suæ heredum mentio-  
 nem facere debet. *Dn. Svendend. ad proc. Fibig p. m. 212. seqq.* Sed  
 quicquid sit, actor hic, cui Curator & quidem solus citra  
 mandatum Curandæ *Ord. proc. tit. 8. pr. Carpz. tit. 5. art. 5 n. 45.*  
*seqq.* vel apud acta *§. ult. Inst. de Curat. l. 24. pr. ff. de Administ. &*  
*peric. tut. vid. Vultej. l. 2. C. 7. n. 385. seqq.* vel extra judicium a-  
 gendi potestatem concessit, *vid. Simoncell. in praf. tr. de Decret.*



*in contr. act. min. adhib. n. 83. in foro ad legitimandam personam suam non tantum actorium, verum etiam curatorium producere debet* Carpz. d. art. 5. n. 28. seqq. Lauterb. ad ff. p. 67. nisi vel ipse vel etiam Curator in eodem iudicio datus sit, quo casu nuda constitutionis allegatio sufficit *cit. Dd. d. l. Cæterum sicuti Actor mortuo Curatore sine novi Curatoris mandato non admittitur* Carpz. d. l. n. 42. contra, quam statuit Berl. p. 2. Decis. 278. ita quoque una cum instantia officium ejus finitur, in tantum, ut appellationem interponere quidem, non autem prosequi possit. L. 10. C. de Appell. ibiq. Brunzem. n. 2. seqq. nisi forte ad omnia negotia judicialia datus fuerit. Ferrar. de Appell. L. 2. C. 1. n. 117. & Scacc. de Appell. quest. 5. n. 40.

Th. XXIV. Procuratorem autem, cujus jam supra facta est mentio, foemina sola de jure Civili valide constituit, arg. L. 1. ff. de Procur. L. 4. C. eod. Nov. 134. C. 9. etiam maritum suum L. 2. 14. & 21. C. eod. de jure Saxonico autem nequidem huic sine Curatore actionem mandare potest, arg. Art. 44. & 47. Lib. 1. Land N. Const. Elect. 15. & 16. p. 2. L. 11. & 14. C. de Procur. Wesenb. ad ff. de Procur. n. 4. Moll. ad Const. 17. p. 2. n. 62. seqq. uti contra Andr. Rauchbarum & Ant. Hering. disputat Carpz. tit. 5. art. 6. n. 37. seqq. & Decad. 9. pos. 2. n. 39. Nam in genere qui sine Curatoris interventu ipse personam standi in iudicio non habet, ille nec solus procuratorem constituere potest. arg. C. Nemo potest 79. de R. J. in 6. Rauchb. L. 1. quest. 2. n. 50. Cum consensu ergo & autoritate Curatoris foeminam etiam in Saxonia Procuratorem dare, firmiter statuendum est. Præterquam enim, quod deficiat prohibitio, permillum autem censeatur, quicquid non est prohibitum. arg. C. Cum apud 23. X. de Sponsal. etiam hæc satis firmo nititur fundamento regula: *Quicquid foemina de jure Civili sola, illud de jure Saxonico auctore Curatore in iudicio facere potest.* Ratio, quia hoc passu juris Civilis dispositionem non mutavit, sed eidem solam Curatoris habendi necessitatem superaddidit jus Saxonicum. Quemadmodum ergo mulier ibi sola; ita hic cum Curatore procuratorem non sine effectu constituit, siquidem & minores, quibus nostræ foeminae æquiparantur, cum Curatorum suorum consensu pro-



procuratorem dare non prohibentur. *L. 11. C. de Procur.* Cui porro & illud accedit, quod mulier illustris, cum apud nos Curatorem non recipiat, *Carpz. p. 2. decis. 142. n. 4.* & tamen ipsa in iudicio comparere prohibeatur *L. 25. & seq. Auth. Hoc jus. C. de Procur. Lauterb. ad ff. p. 65.* in foro nostro etiam sola necessario procuratorem constituere debeat. Nec desinitur denique controversia hæc suo affectu, dum contra Procuratorem actio mandati. *L. 11. ff. de Procur. L. 13. & 21. C. Mandati;* adversus Curatorem autem ejusque Actorem feminae nulla plane actio competat *arg. L. 26. C. de Admin. tut. Carpz. p. 2. C. 15. d. 33.* nisi ob fraudulentum datum consilium *L. 47. de R. J. Möll. ad Const. 15. p. 2. n. 102. Berl. p. 2. C. 18. n. 40. Zang. de Except. p. 3. C. 11. n. 54.* Sed ut verum fatear, Practici rem ipsam non negant, sed tantum feminarum Procuratori Actoris nomen improprie attribunt, quod tamen fieri non debebat, cum singulas personas singulis nominibus distingvere sit longe commodius *arg. §. 5. Inst. Quib. mod. testam. infirm.* Illud hic non prætereundum, quod Curatoris consensus atque autoritas, cum pro solennitate requiratur, statim in ipso constitutionis actu intervenire debeat, adeo, ut per Procuratorem à sola muliere datum in iudicio acta nec Curatoris ratihabitione convalescant. *Mev. ad Jus. Lub. L. 1. tit. 7. art. 8. n. 26. & Wibel. de Contract. mul. Cap. 3. §. 6. n. 42.* Unde Procuratorium non tantum ab illo subscribi, sed etiam ita concipi debet: *Ich N. cum consensu & autoritate meines zu Ende mit unterschriebnen Curatoris N. gebe vor mich/ meine Erben und Erbnehmen Krafft dieses Sempronio volle Macht und Gewalt/das zc.* Deinde quamvis mandatum contractus sit, uxor autem autore marito, tanquam legitimo Curatore suo, firmiter contrahere valeat; ad hujus tamen judicialis procuratoris constitutionem, quæ Curatoris ad litem autoritatem requirit, mariti interventus vel ideo non sufficit, quoniam nec per ejusdem consensum atque autoritatem mulier personam standi in iudicio consequitur. *Confer. supra tb. 9.* Sed priusquam hinc digrediar, illud adhuc notandum, quod femina etiam sine Curatore toties in foro Saxonico procuratorem constituat, quoties sine illo sola per-





sonam standi in iudicio habet. Nam, uti jam saepius dictum, hoc passu minori æquiparatur. Ubi autem hic sine Curatore solus agere, ibi etiam, nisi aliud obstet, procuratorem dare potest. *Petr. Gregor. Tholos. in Syntagm. L. 49. C. 4. n. 4.* ut de iure Canonico in causa matrimonii *C. Ex parte 13. X. de Restit. spol. C. fin. de iudic. in 6.* ubi tamen læsi restituuntur. *Gloss. in d. C. Ex parte & in L. 1. C. si de moment. poss.*

Th. XXV. Non tantum autem Procuratorem proprie ita dictum, verum etiam *Syndicum*, qui universitatis lites in iudicium deducit, foeminas, quibus ut in monasteriis, Xenodochiis & Collegiis opificum, collegium habere seu eidem interesse licet, constituere posse, nullus dubito. *arg. L. 17. C. de Episcop. & Cleric. C. Cum dilecta. 20. de Rescript. & ibi Gloss. in fin. Wesenb. ad ff. tit. Quod cuiusq. univers. nom. n. 4. Pruckm. ad L. 9. P. 1. membr. 2. art. 4 ff. de stat. homin. n. 2. & 3. Lauterb. Disput. de Syndic. th. 19. in fin.* modo tamen masculo idoneo & quidem in foro Saxonico cum consensu & autoritate Curatorum suorum litem demandaverint. Quomocunque autem a mulieribus constituatur *Syndicus*, in iudicio non prius admittitur, quam una cum *Syndicatu* etiam *Curatoria* iudici exhibeat, aut saltem ea *Notario* aut *judicialiter* exhibita fuisse per instrumentum *Syndicatus* doceat, ad instar *Procuratoris*, cuius partibus revera fungitur. *L. 6. §. 3. ff. Quod cuiusq. univers. nom. Carpz. tit. 5. art. 4. n. 44. & P. 1. C. 13. d. 8. item L. 3. Resp. 9.*

Th. XXVI. Cæterum sicuti per verum; ita quoque per quasi *Procuratorem* e. g. conjunctam personam, de qua vid. *L. 35. pr. L. 40. §. fin. ff. de procur.* de Jure Civili non tantum, sed etiam Saxonico foeminam in iudicio comparere posse, satis evincit *L. 21. C. de Procur. Const. El. 15. P. 2. §. Derwegen 2c. Ord. Proc. tit. 7. §. Wir lassen aber 2c. ad tit. 8. in fine.* Et quamvis citati textus tantum de marito loquantur; attamen cum etiam in cæteris personis, quæ alias cum cautione rati admittuntur, eadem juris ratio subsit, eadem quoque juris dispositio merito obtinebit. *arg. L. 12. & 27. ff. de LL.* Cui accedit, quod non tantum mulieris *Procurator* mandati *L. 1. C. de Procur. L.*



40. §. 3. ff. eod. Ord. Proc. tit. 7. verb. Da auch etwa ic. verum etiam Syndicus, quem tamen sæpius foemina constitunt, Syndicatus defectum accidentalem ipsa cautione rati supplere valeant. L. 6. §. 3. Quod cujusq; univers. nom. ibiq; Wesenb. n. 7. Et quid denique vetat enunciare generaliter: Quicumq; (sive solus sive cum Curatore) expresse mandare & rati habere potest, illius etiam ex presunto mandato quasi Procurator cum cautione rati admittitur. Unde & Jure Würtembergico novissime constitutum, ut pro personis conjunctis, sive sint masculi sive foeminae, sive Curatorem habeant, sive non, indistinctè in judicio sine mandato cum cautione rati agi possit. Würtenb. Hoff=Gerichts Ordn. P. 1. tit. 8. §. Ein Vater ic. Hoc tamen non aliter de foemina intellectum volo, quam si nec ipsa nec Curator ejus generalis præsens, aut alius nondum in specie ad hanc litem curator constitutus sit. arg. L. 40. §. fin. ff. de Procur. Cæterum si quis pro conjuncta foemina non ipse, sed per Procuratorem in judicio cum cautione rati comparere velit, hic sine speciali mandato non admittitur. Carpz tit. 5. art. 2. n. 43. Quod si tamen forte admissus fuerit, gesta ejus per subsequentem foeminae rati habitionem convalidantur. Nam quæ speciale mandatum requirunt, per rati habitionem confirmantur L. 26. & ibi Petr. Peck. C. 10. de R. 7. n. 9. Mev. P. 5. decis. 98. Quemadmodum autem generalis Procurator; ita & Curator foeminae per cautionem rati non tantum Curatorii requisitum deficiens supplere potest arg. L. 1. C. de Procur. & tit. 7. Ord. Proc. §. Da auch ic. verum etiam ad ea, quæ alias speciale mandatum requirunt, admittitur arg. L. 26. ff. de Minor. vid. ibi Brunnem. n. 1 & 2. modò tamen hæc ipsa non ex speciali juris permissione dependeant, quoniam una in causa duo specialia concurrere nequeunt, & defectus specialitatis per aliam specialitatem suppleri non potest. L. 1. C. de dot. promiss. Borell. Cons. 64. n. 12. Unde Curator, etiamsi pro sua persona cautionem rati offerre queat, neutiq; tamen pro suæ Curandæ conjuncta persona cautionem rati hoc casu ipsi foeminae, si præsens esset, speciali jure permissam, præstare valet, nisi forte in specie ad hunc actum datus sit. Nam quicquid alias



*lius fœmina a autore Curatore Procuratori in specie mandare valet,*  
*ad illud etiam eidem Curator specialis constitui potest. Cujus rei*  
*exemplum habemus in Recognitione Instrumentorum,*  
*Transactione, Delatione juramenti & consequenter etiam*  
*in præstatione Cautionis rati pro persona conjuncta. Nec*  
*porro silentio prætereundum, quod etiam Actor præstando*  
*eandem toties in judicio admittatur, quoties cum actorio*  
*quidem, absque curatorio tamen comparuit, Berl. P. 1. C. 14. n.*  
*57 seqq. Carpz. tit 5. art. 6. n. 58. De marito autem, tanquam per-*  
*sona uxori arctissimè junctâ Gen. C. 2. vers. 25. L. 4. C. de Crim. ex-*  
*pil. ber. in specie notandum, quod nomine hujus agens de*  
*Jure Civili tantum quoad Receptitia & cætera constante ma-*  
*trimonio aliunde uxori obvenientia bona, de quibus L. 21. i-*  
*biq; Brunnem. C. de Procur. propriè intelligenda; non etiam*  
*quoad Dotalia, quorum ipse dominium habet, nec quoad*  
*Paraphernalia, quorum jam tum legitimus administrator est,*  
*cautionem rati præstare teneatur propter L. 9. C. de R. V. L. 5. C.*  
*de jur. dot. L. ult. C. de Pact. convent. Vid. Perez. ad L. 21. C. de Pro-*  
*cur. n. 16. Gail. L. 1. O. 133. n. 5. 6. & 7. Myns. C. 7. O. 53. n. 3. & 4. Umm.*  
*Disp. ad Proc. 9. tb. 7. n. 30. Frantzk. ad ff. de Procur. n. 30. Cum e-*  
*contrario in foro Saxonum absq; respectu & differentia bo-*  
*norum maritus uxoris nomine experiri nequeat, antequam*  
*præstiterit cautionem rati vel Curatorium exhibuerit. Const.*  
*Elect. 15. P. 2. vers. Wie dann auch die Ehemänner &c. Ord. Proc.*  
*tit. 8. §. Da sie aber in fin. Carpz. P. 1. C. 1. d. 31. Quamvis quoad*  
*dotalia bona distingvendum existimem, an horum domi-*  
*nium acquisiverit maritus, nec ne, ita, ut priori casu nequi-*  
*dem in foro Saxonico cautione rati gravandus sit. Siquidem*  
*ita non uxoris, sed suo nomine actiones in judicium dedu-*  
*cit L. 9. C. de R. V. pr. Inst. Quib. alien. lic. L. 5. & 10. C. de jure dot.*  
*Atqui verò is tantum cautionem rati præstat, qui non suo,*  
*sed alieno nomine agit L. 33. §. 3 ff de Procur. Neq; hanc Juris*  
*Civilis dispositionem jura Saxonum superius allegata corre-*  
*xerunt, dum disertè tantum loqvuntur de eo casu, ubi mari-*  
*tus non suo, sed uxoris nomine compariturus est. conf. Nicol.*  
*Proc. P. 1. C. 7. n. 39. Illud adhuc observatione dignum, quòd*  
*etiam-*



etiam si cautio rati in actione injuriarum, quas revocatas esse oportet ad animum, de quo tamen caventi constare nequit, communiter in judicio non admittatur; contrarium tamen & precipue respectu mariti verius esse, facile elucescat ex generalitate textus *L. 21. C. de Procur. cit. Const. 15. P. 2. Ord. Proc. tit. 7. & 8. nec non ex § 2. Instit. de Injur. L. 11. §. 2. & L. 17. §. 16. ff. eod. Vid. Dn. Svendend. ad Proc. Fibig p. m. 250.*

Th. XXVII. Postquam ita demonstravi, an & quomodo foemina pro se tum in persona, uti loquuntur; tum per alium litem suscipere valeat, consequens est, ut videamus, num & quomodo etiam in judicio alieno nomine comparere possit? Tametsi autem ab Advocati & procuratoris munere ob sexus verecundiam arceantur regulariter *L. 1. § 5. ff. de Postul. L. 2 ff. de R. 7. L. 18. & 20. C. de Procur. §. fin. Inst. de Except. ita ut praesentia uxoris sententiam contra maritum absentem latam validam non reddat. L. 4. ibiq; Brunnem. n. 1. C. de Procur. Ur- gente tamen necessitatis telo & svadente ita pietate certis quibusdam in casibus admittuntur, quorum potissimos nunc breviter enumerare mihi animus est. Et quidem omnium primum foemina, uti in rem suam procuratrix esse potest *L. 4. C. de Procur. Wibel. de Contract. mul. Cap. 3. §. 8. n. 62.* ita & tutorio nomine liberorum suorum admittitur *Sichard. ad Rubr. C. de Procur. n. 3. Hillig. ad Donell. L. 18 C. 11 lit. G.* Quamvis si rem accurate considerare velimus, uterque casus ad praesentem materiam non spectat. *Conf. Brunnemann. ad L. 41. ff. de Procur. n. 5.* (2) Agere valet pro Parentibus, si forte hi causa cognita morbo vel aetate impediti deprehendantur, nec quenquam, qui agat, habeant. *L. 41 ff. eod. aut defensor eorum non satis idoneus reperiatur. Gothofred. ibi in not. lit. H.* Atque hoc casu etiam in reconventionem parentes defendere debet *Brunnem. ad L. 41 ff. de Procur. n. 1.* Pari ratione (3) etiam pro liberis defensore aut curatore carentibus, praesertim si moram res non patiat, aut tutor iis tam citò constitui nequeat *Anton. Faber. ad L. 41. ff. de Procur. Brunnem. ad L. 13. C. eod. n. 3. & 9.* (alias enim iisdem tutorem potius petere debet. *Brunnem. cit. l. n. 2.*) in judicio comparere potest. *Venat. de Pro-**



*Procur §. Qui Procur. const. poss. Manz. de Procurat. n. 87. Brunnem. cit. l. n. 2.* Nam & matri pro filio non appellare tantum, verum etiam fatalia appellationis observare permittitur *L. 1. §. 1. ff. de Appell. recip.* Unde Dd. in genere volunt, ut pro Parentibus & Liberis toties foemina admittatur, quoties eosdem impeditos nemo defendit, periculum tamen in mora est. *Brunnem. cit. l. n. 3. ibiq; alleg. Faber & Hilligor.* Hic autem (4) ob arctissimum conjugii vinculum adjungunt maritum, pro quo non tantum captivo *arg. L. 3 ff. de Liberal. caus. Gail. L. 1. O. 133. n. 8. seqq.* sed etiam absente pro excusanda absentia ejus uxor admittitur. *Sichard. ad L. 4. C. de Procur. in fin.* uti intelligendus *Berl. P. 1. C. 14. n. 48.* Imo hanc in appellationis instantia posse defendere maritum, & ubicunq; in mora periculum, ut si merces mariti distrahendæ, arestandæ aut sequestrandæ, firmiter statuit *Mev. P. 4. Decis 390.* quia omnino æquius est, uxorem admittere absente marito ad excusationem absentia non tantum, sed etiam ad deductionem, cur appellatio non sit deserta, quam absenti jura præcidere. *idem P. 4. decis. 329. Conf. L. 1. §. 1. ff. de Appell. recip.* (5) Mulier pro cognatis experiri potest interdicto de libero homine exhibendo *L. 3. §. 9. 10. & 11. ff. de Liber. hom. exhib.* (6) Non repellitur a defensione ejus, qui in servitutum petitur *L. 3. §. 2. ff. de Liberal. caus.* & (7) admittitur ad deductionem innocentia illius, qui ad supplicium rapitur *arg. L. 6. ff. de Appell. ibiq; Brunnem. n. 1.* Quinimò (8) pro pupillis, quorum defensio favorabilis est, tutores suspectos postulare potest non tantum foemina necessitudinis vinculo ducta, ut mater, avia, soror & nutrix *§. 3. Inst. de suspect. tut. L. 1. §. 7. ff. eod.* verum etiam quævis alia, quam sexus verendum non egressam, sed pietate commotam hoc facere judex intellexerit *per cit. text.* Unde tandem (9) foeminam in genere pro miserabilibus personis admittit *Manz. in Special. jur. sub Rubr. Miserales persone n. 4.* quod intelligo, si impediti sint, nec defensorem habeant, res autem moram non patiat. *arg. L. 41. ff. de Procur.* (10) Denique pro aliis quibuscunq; postulare potest foemina ob favorem causæ piæ aut dotis &c. *Brunnem. ad L. 41. ff. de Procur. n. 4.* nec non (11) ubi non de



de apicibus juris disputandum, sed tantum æquitas attenditur *Marcell. Cala de articuland. & proband. modo §. 1. Gloss. 4. n. 68. Decius ad L. Fœminæ 2. ff. de R. J. Marcus de Mantua singul. 27. n. 4.* ut in foro mercatorum vel in judiciis nonnullis inferioribus *Brunnem. d. l. ibiq. cit. Sichard. ad L. 18. C. de Procur. n. 3.* Atque (12) tunc etiam, quando adversarius non excipit. *Barbos. in L. Cum Prætor. 12 §. fin. n. 246 ff. de judic. & Brunnem. cit. l. nec non ad L. 18. C. de Procur. n. 8.* Quamvis autem Dd. nonnulli etiam Abatissam pro monasterio suo procurare posse statuunt per *C. 4. X. de Confirm. util. & inutil. contrarium tamen verius, atque hoc casu Abatissam specialiter à Pontifice delectam fuisse, existimat Busius ad L. 41 ff. de Procur. n. 3. & Bachov. ad Treutl. Disp. 9. th. 6. lit. A. Confer Wibel. de Contract. mul. Cap. 3. §. 8. n. 62.* Cæterum cum defensionem, quæ fœminæ dictis casibus permittitur, quædam intercessio insit, illa autem propter S Ct. Vellejanum ex intercessione sua non teneatur, huic, ut condemnata efficaciter conveniri possit, omnino renunciare debet. *arg. L. 2. & Auth. seq. Matri & avia C. Quand. mul. tut. offic. fung. pot. Sichard ad L. 18. C. de Procur. Rümelin. Part. 1. Pand. Disp. 8. th. 11. lit. C. Harprecht ad §. 1. Inst. de iis, per quos ager. poss. n. 103. seqq. nisi causa talis sit, in qua jam tum citra renunciationem firmiter obligatur vid. Hillig. ad Donell. L. 18. C. 11. Lit. I. ut in causa pia e. g. dous L. 12. C. ad S Ct. Vellej. manumissionis L. 24. C. eod. studiorum aut alimentorum Pruckm. ad L. 9 ff. de stat. hom. P. 2. art. 15. lim. 11. n. 39. captivorum & carceratorum, quorum causa maximè pia dicitur L. 36. C. de Donat. Anton. Faber in Cod. Lib. 4. tit. 21. def. 16. n. 1. 2. & 3. Confer. Dd. ad ff. sit. ad S Ct. Vellej. Quæ admodum autem nemo alienæ litis sine satisfactione idoneus defensor est L. 46. §. 2. ff. de Procur. ibiq. Brunnem. ita nec fœmina sine idoneâ cautione ad alterius defensionem admitti debet.*

Th. XXVIII. *Persona habilitationem, de qua tanquam primo & potiori actu iudicii præparatorio non nisi fusius paulo tractare potui, excipit iudicis competentis aditio, circa quam duæ potissimum quæstiones fœminæ moveri possunt,*

D

ut-



utpote (1) Quis sit iudex ejusdem competens? & (2) Quo-  
modo iudicem adire debeat? Primam quæstionem quod at-  
tinet, uti in omnibus aliis; ita quoque in puncto iudicis aut  
fori competentis nulla inter utrumque sexum statuenda est  
differentia, nisi in alterutro singulare quid jura constitue-  
rint. *arg. L. 4. C. de Liber. prater. Lauterb. ad ff. p. m. 13.* Tale quid  
autem ex parte foeminae deprehendere licet in casibus se-  
quentibus. Et quidem primò uxor eo ipso, dum ex patris in  
mariti familiam transit, hujus etiam forum statim post de-  
ductionem in domum seu hodie post benedictionem sacer-  
dotalem sequitur *L. fin. §. 3 ff. ad Municip. L. 5. de R. N. L. ult. C. de  
Incol. L. un. C. de Mulier. in quo loco mun. L. 65 ff. de jud. L. 13. C. de  
Dignit. L. 19 ff. de Jurisdic. Carpz. L. 2. Resp. 24. n. 14. seqq. §. tit. 3.  
art. 1. n. 53. Struv. Ex. 9. tb. 28. Richt. P. 1. Decis. 9. n. 4. Cypraus de Ma-  
trim. C. 8. n. 20.* illudque post mortem mariti retinet *L. 22. §. 1. ad  
Municip. Carpz. d. art. n. 54.* etiam in foro Saxonico. *Carpz. L. 2.  
Resp. 24. n. 20. seqq. §. Decad. 1. pos. 3. n. 11. seqq.* donec ad secunda  
vota sacerdotali copula jam confirmata *arg. L. 10. §. 1. ff. de his,  
qui not. infam. L. pen. ff. de Pœn. transierit L. fin. C. de Incol. L. 22. §.  
1. ad Municip.* aut nisi eidem renunciaverit & ad pristinum  
suum redierit. *Perez. ad C. tit. de Incol. n. 11.* quod tamen non  
presumitur fecisse statim, si se aliò transtulerit. *Vid. omninò  
Richt. de success. ab intest. in Prœm. n. 37. seqq. Gilhaus. in arbor.  
jud. C. 1. P. 2. §. 2. n. 10.* Quamvis autem & vitâ impudicâ e. g.  
admisso stupro prioris mariti dignitatem & privilegia amit-  
tat, *arg. L. 7. C. de Revoc. don. Vid. Newenhan. de jur. viduit. membr.  
3. sect. 3.* domicilium tamen eo ipso mutatum non videtur  
*Lauterb. Dissut. de Domicil. tb. 21.* nisi forte & hoc privilegia-  
tum fuerit, quo casu sine dubio una cum aliis privilegiis tol-  
litur. Cæterum si defunctus plura domicilia habuerit, in  
his omnibus vidua ejus conveniri potest, nisi unum ex illis,  
forte ubi dotalitium habet, elegerit, eoque totam familiam  
transtulerit *L. 22. §. 1. ad Municip. L. ult. C. de Incol. Struv. Ex. 9.  
tb. 28. in fin. Carpz. tit. 3. art. 1. n. 54. & 55. Zang. de Except. P. 2.  
c. 1. n. 99.* Quod autem hætenus de uxore, quod forum  
ma-



mariti sequatur, dictum est, sicuti nec ad sponsam *L. 32. ff. ad Municip. Vid. Dd. alleg. in Nicol. Process. P. 1. C. 19. n. 12.* nec ad illegitimam uxorem pertinet. *L. 37. §. 2. ff. ad Municip. Struv. Ex. 9. th. 28. in fin.* ita nec eo casu obtinet, ubi maritus contra fidem pacti, quo ab uxoris domicilio se nunquam discessurum promisit, postea tamen nihilominus aliò commigravit *arg. L. 1. de Pact. L. 2. ff. Constit. pecun.* nisi urgens & justa domicilium mutandi causa adfuerit e. g. Reformatio, studium inserviendi senescentibus parentibus, qui alibi habitant &c. *Vid. Richt. Decis. 9. & Lauterb. ad ff. tit. de R. N. in Effectu.* Tametsi autem stante illo pacto, ubi maritus domum uxoris ingreditur, wann der Mann zum Weibe einfreyet / uxor prius domicilium suum retineat, nihilominus tamen, quod & hoc casu domicilium mariti sequatur, dicendum videtur, quippe qui facto & voluntate sua ibi domicilium constituit. *Struv. Ex 9. th. 28. ibiq; alleg. Hillig. ad Donell. L. 17. C. 12. lit. L.* Illud tamen in genere adhuc notandum, quod uxor eo ipso, dum mariti domicilium sequitur, originis domicilium non amittat *arg. L. 6. ff. ad Municip. L. un. C. de Mulier. in quo loco & c.* adeoque stante ibidem statuto, quod soli forenses pro bonis ibi sitis gabellas solvere debeant, ipsa non teneatur. *Surd. decis. 330. Petr. Peck. tr. de Testam. Conjug. L. 4. C. 34. n. 3.* Cæterum verò ibidem muneribus fungi non cogitur *d. L. fin §. 3. ff. ad Municip. Lauterb. Disp. de Domicil. th. 20.*

Th. XXIX. Porro quemadmodum etiam illud singulare est, quòd fœminæ dotem, non, ubi pacta dotalia confecta, sed ubi maritus domicilium habuit, repetere debent *L. 65. ff. de judic. ibiq; Brunnem.* cum tamen alias locus ipsius conventionis competens forum constituat. *C. fin. X. de for. compet. Vid. Struv. Ex 9. th. 40 seqq. Lauterb. ad ff. tit. de jud. p. 102.* ita in specie vidua gaudet privilegio miserabilium personarum, quo forum commune declinare & intermediis iudicibus omissis rectà ipsum Principem adire potest. *L. un. C. Quand. Imper. inter pupill. ibiq; Perez. & Vultej. Newenhan. de jur. viduit. membr. 2. sect. 5. & Carpz. Decad. 9. pos. 6.* & quidem a-



pud nos Statum Imperii, in cuius territorio vivit *Carpz. L. 2. Resp 19. n. 15. & tit. 3. art. 6. n. 4.* Non etiam Cameram, nisi in denegata seu protracta iustitiae aut causae per Appellationem ad Cameram iam devolutae casibus, extra quos subditorum Imperii Statuum causas cognoscendi facultatem non habet. *Gail. l. 1. O. 1. n. 40. Matth. Stephan. de Jurisdic. L. 1. C. 31. n. 46. Carpz. d. Resp. n. 19. Vultej de Feud. L. 2. C. 2. n. 22. in fin.* Gaudent autem hoc speciali iure viduae sine distinctione, pauperes sint, an divites *Tessaur. decis. 177. n. 3. Gail. l. 1. O. 1. n. 40. Carpz. d. R. n. 18.* sive agant, sive convenientur *d. L. un. ibiq. Perez. n. 6.* sive actione quadam ordinaria, sive querela simplici *Bald. ad d. L. un. n. 2.* tam in Civilibus, quam Criminalibus. *Castillo L. 3. Controv Cap 25. n. 20. Brunnem. ad d. L. un. n. 16.* nec non si termini habiles ponantur, in Feudalibus *C. Ex parte 15. X. de foro compet. Sonsbec. de Feud. p. 14. n. 28. Borcholt. de Feud. C. 10. n. 27. Dissent. Dd. alleg. in Nicol. Proc. p. 1. C. 28. n. 2.* Etiam si huic privilegio renunciaverint *Gail. l. 1. O. 1. n. 40. Castillo & Brunnem. cit. l. Tessaur. d. l. n. 5. Hillig. ad Donell L. 17. C. 20. lit. D. Dissent. Perez. n. 5.* aut lite iam coram supremo tribunali coeptam nupserint *Tessaur. n. 4.* aut iudicium coram ordinario iudice acceperint seu litem contestatae sint *Tessaur. n. 6.* aut iam tum ad proximam superiorem iudicem appellaverint *Tessaur. n. 7.* aut in iudiciis inferioribus nullam plane oppressionem metuant *Carpz. tit. 3. art. 6. n. 8.* aut ipsi nunquam iustitia denegata fuerit *Panorm. in C. Ex tenore II. n. 3. X. de for. compet. & text. d. L. un.* aut civitas immediate Principi subiecta habeat privilegium, ut prima cuiuslibet causae cognitio ibi institui debeat *Tessaur. n. 8.* Ita ut viduae iuramentum perhorrescentiae praestare non teneantur *arg. d. L. un. Vinc. de Franch. decis. 257. n. 1. & 2. Lauterb. Disput. de juram. perhorrescent. th. 7. & 37. seqq.* atque hoc beneficium etiam litis consortibus profit *Brunnem. ad d. L. un. n. 16.* nec non maritatis concedatur, quarum mariti inutiles sunt. *Brunnem. d. l. n. 9.* Neutiquam vero virgini aut meretrici, quae tali *arg. L. 2. §. 10. & 16. ff. Ne quid in loc. publ. Carpz. Decad. 9. pos. 6. n. 22. seqq. Gail. l. 1. O. 1. n. 42. Grænw. ad d. L. un. n. 2.* nec viduis illustribus



tribus *Carpz. tit 3. art. 6. n. 27. & 28.* aut luxuriosè viventibus  
*Christin. Vol. 2. decis. 161.* nec deniqve adversus æqvè privilegia-  
 tum arg. *L. 8 ff. de Excus. tut. Brunnem. ad d. L. un. n. 17. & Perez.*  
*ibi n. 4.* nisi hic minus privilegiatus sit, uti respectu viduæ  
*Scholaris Brunnem. cit. l. n. 19.*

Th. XXX. Aliud singulare jus fœminarum deprehendi-  
 tur in casu prorogatæ jurisdictionis. Nam licet de jure Civi-  
 li non secus ac masculi in casu licito absq; Curatore alii judi-  
 ci sese submittere possint; de jure Saxonico tamen solæ non  
 magis alterius jurisdictionem agnoscere, quam alias com-  
 promittere queant. Cum enim jurisdictionis prorogatio quæ-  
 dam compromissi species sit, sua sponte exinde hæc regula  
 fluit: *Quicumq; non compromittere, ille nec jurisdictionem proro-*  
*gare potest.* Jam verò mulierem in Saxonia contra, quam in  
 foro communi *L. 3. C. de Recept. arbitr. arg. L. 32. §. 2. ff. eod.* absq;  
 Curatoris interventu arbitrum constituere non posse, par-  
 tim ex illis, quæ *Wibel. de Contract. mul. C. 3. §. 8. n. 239. & Berl. p. 2.*  
*C. 17. n. 51.* tradunt; partim verò exinde patescit, quod nec sine  
 illo transigere queat, cum tamen expediti juris sit, quod,  
 cum compromissum transactio sit, non nisi ille, cui transige-  
 re licet, compromittere valeat. *Lauterb. ad ff. tit. de Recept. in S.*  
 Unde & illud a scopo nostro non usq; adeo alienum evinci-  
 tur, quòd scil. mulier apud nos sola tum coram arbitro litiga-  
 re; tum quoq; compromissi tempus prorogare nequeat. *Wibel.*  
*cit. l. n. 240.*

Th. XXXI. Dictum est superius, uxorem sequi forum  
 mariti. Sed illud non ita absolutè intelligendum, sed tantum  
 ad istiusmodi maritum restringi debet, qui non ipse jus terri-  
 toriale aut saltim jurisdictionem habet: alias enim coram  
 hoc tam in Civilibus, quam Criminalibus uxor illustris aut  
 nobilis forum sortitur. *Schütz in Colleg. jur. publ. Vol. 1. Disp. 3. th.*  
*32. Limn. Lib. 2. C. 14. Clapmar. in Arcan. Rerum publ. Lib. 1. C. 12. ad*  
*exemplum Augustæ, quæ imperio Viteriar. in jur. publ. L. 3. tit. 19.*  
*§. 1. & Imperatori subdita est arg. L. 31. ff. de LL. adeoq; etiam*  
*coram Imperatore conveniri potest. Limn. ad A. B. C. §. 5. fin. Obs.*



4. ne utiquam verò hoc passu deterioris conditionis esse debet, quam Principissa aut alia foemina nobilis. Imprimis cum hæc transeundo per nuptias in mariti sui territorium, ibi constituent domicilium, quo ipso aliquis non tantum Domini territorialis subditus fit propr. è ita dictus. *Vid. Reinking. de Reg. Secul. & Eccles. Lib. 1. Clas. 5. C. 3. n. 3. & 4. Myler. ab Ehrensbach de Princip. & Stat. Imper. Cap. 38. n. 7. Rosenthal. de Feudis Cap. 6. Conclus. 85. n. 9.* verum etiam nisi speciali privilegio eximatur *Lauterbach. Disput. de Domicil. th. 58.* ipsis inferioribus loci istius magistratibus subjicitur. *Reinking. cit. l. c. n. 1.* Id quod in Principibus quoque & statibus Imperii obtinere, equeidem negant *Dd. allegati a Cass. Ziegl. ad Aur. prax. Calvoli & Landsasii n. 24. & seqq.* contra verò non pauci affirmant, *de quo vid. Tileman. de benign. decis. Camer. Syntagm. 4. dec. 1. Vol. 10.* Deinde quem nisi in jure publico hospitem, fugit, eam juris territorialis esse vim atque naturam, ut in omnibus Regiam nullique obnoxiam potestatem æmuletur, nisi quid nominatim inveniat exceptum. Jam vero si Regi jurisdictionem in conjugem nemo negare potest, cum regni naturæ repugnet, quempiam in eo non agnoscere Regiam Majestatem; pariter statuum Imperii jurisdictioni, quæ ad omnes personas & res in territorio existentes porrigitur, conjuges eorundem sese eximere nequeunt. Ad hæc, si maritus cum uxore extra Rempubl. constitutus tunc ideo, quod ita maritali imperio etiam jurisdictio accedat, jus vitæ & necis in illam consequitur, uti quidem statuit *Joh. Frid. Horn. L. 1. Pol. Archited. Cap. 1. §. 6. & Henrich Henniges. ad Grotium de J. B. & P. p. 458.* multo magis maritus, qui jam ordinariam jurisdictionem habet, conjugis suæ judex esse poterit. Quod porro tantò facilius tunc concedendum, si contrahendo aut delinquendo eidem sese subjecerint; quantò certius debitor in loco contractus *Carpz. L. 2. R. 29. C. fin. X. de for. compet. & reus in loco delicti forum fortitur. L. fin. ff. de Accus. junct. L. 1. in fin. C. ubi Senator. Auth. Qua in provincia. C. Ubi de Criminib. Carpz. tit. 3. art. 2. n. 33.* Atque si non Princeps tantum; *Vitriar. in jur. publ. L. 3. tit. 17. §. 13.*  
verum



verum etiam Nobilis in filium suum; *Carpz. p. 4. C. 43. def. 11.*  
*Confer. Schultes. ad quest. Modest. Pistor. p. 4. quest. 169. n. 6.* talis  
maritus quoque in conjugem criminalem jurisdictionem  
exercere potest. Unde marito licere vi jurisdictionis. prævio  
tamen processu, supplicium sumere de uxore adultera, re-  
spondit aliquando inclyta Jctorum Facultas in Viadrina,  
teste illustri DN. STRYKIO in *Usu mod. ff. Lib. 2. tit. 1. §. 29.* Nec ob-  
stant hic argumenta à Myler. ab Ehrenbach in *Gamol. Princip.*  
*Cap. 22.* nec non ab aliis in contrarium prolata. Nam quod (1)  
uxor mariti socia esse, par autem in parem jurisdictionem  
non habere dicitur *L. 4. ff. de Recept. arbitr. ex utraq; parte non*  
*nisi certo modo verum est.* Uxor enim tantum domesticæ  
curæ, non etiam maritalis imperii & jurisdictionis socia est.  
*Vitriar. in jur. publ. L. 3. tit. 17 § 10.* atq; regula, parem in parem  
non habere jurisdictionem per *L. 13. §. 4. ff. ad SCt. Trebell. §*  
*L. 14. ff. de jurisdic. disertè limitatur, nisi alter alterius juris-*  
*ditioni sese subjecerit, quod nostro in casu fœmina nubendo*  
*fecisse existimanda est.* Nec obstat (2) quod uxor Principis  
æquè ac ille immediata persona esse putetur: Revera enim  
non nisi extra potestatem & territorium mariti aut non nisi  
per ejusdem gratiosam concessionem talis esse poterit. *Vi-*  
*triar. d. §. 10. in fin.* Nec (3) majoris alicujus momenti argu-  
mentum illud est, quod ex *L. 31. ff. de LL.* petunt, ubi Augu-  
stæ eadem, quibus ipse Princeps gaudet, privilegia attri-  
buuntur; Nam & hoc assertum tantum intelligi debet de  
illis privilegiis, quæ Imperator Augustæ concedere vult ac  
potest, non etiam de imperio & Majestate, cum alias ipsa  
quoque legibus soluta esset, quod tñ. claro textui *L. 31. ff. de*  
*LL.* aperte repugnat. (4) deniq; nihil ad rem facit *L. fin. C. U-*  
*bi Senator.* qua Zeno Imperator expressè constituit, ne viri  
illustres in causis Criminalibus alterius cognitioni, quam  
ipsius Imperatoris, aut, cui hic vices suas demandaverit,  
subjiciantur: Quemadmodum enim hodie plane alia facies  
est Imperii nostri, quam olim fuit; ita tunc temporis præter  
solum Imperatorem non erat, qui Majestatem aut superiori-

tatem



tatem territorialem majestatis æmulam & consequenter jurisdictionem in illustres habuisset, cum è contrario nunc quilibet Status Imperii sit Imperator in territorio suo. *Vid. Instrum. Pacis Monast. Artic. 8. §. Gaudeant.* Et certe si quis olim ex Imperatoris speciali concessione quasi mandatam jurisdictionem in delinquentes illustres exercere potuit *d. L. fin.* hanc potestatem tanto minus hodie Statibus Imperii denegare possumus, quanto certius non Imperatoris, sed suo proprio nomine in territoriis suis jus dicunt, eamq; ob causam titulo: Nos Dei gratia, utuntur. Ne verò Princeps aut Nobilis tunc, quando in conjugem jurisdictionem exercet, suspecti judicis notam incurrat, consultissimum semper est, ut causæ uxorem concernentis cognitionem justis quibusdam, sinceris & candidis consiliariis committat, & omnia per Notarium specialiter ad hunc actum jurejurando obstrictum peragantur, acta verò ad extraneum quoddam Collegium dijudicanda transmittantur. *Conf. Carpz. tit. 3. art. 4. n. 103. seqq.*

Th. XXXII. Postquam ita perspeximus, quis sceminae litigantis sit judex competens, nunc paucis videamus, necesse est, quomodo judicem adire debeat? Quod sicuti interdum ore tenus, sæpius verò per supplicem libellum pro impetrando Processu, cui actionis libellus insertus est, fieri solet; ita nec scemina ipsa, nec Curator ejus dictum libellum subscribere usque adeo necesse habet, sed sufficit hoc casu aliena manu facta subscriptio. Quemadmodum nec illud necessariò requiritur, ut ipsi actioni præcisè mentio & nomen Curatoris inseratur, quia libelli oblatio actus judicialis propriè non est, sed tantum aliquod judicii præparamentum non secus, atque Arresti petitio, quam etiam sine Curatore permissam esse mulieri, jam supra dictum *ib. XX. n. 2.* Quamvis ad evitandam, quam desuper adversarius temerè movere posset, controversiam omnino satius sit, ut & Curatoris mentio fiat tantum hoc modo: *Vor N. erscheinet Titia mit ihrem Kriegischen Vormunde Sempronio, welcher fünff*



Einffrig in *Termino* seine Person gebührend zu legitimiren bereit ist/und 2c. E contrario si quis ipse mulierem in jus vocare velit, ante omnia, ne iudicium elusorium reddatur, in libello supplici eandem ita citari petat, ut una cum Curatore in termino comparere debeat. *Carpz. Decad. 9. pos. 2. n. 16.* Quod si autem tunc nihilominus sola in termino se sistat, nec curatorem recipere velit, actor, prævia contumaciæ accusatione, illam in expensas condemnari petere potest, cum paria sint, non comparere & non legitimè comparere *L. 1. §. 2. ff. Quod cujuscunq; univers. nom.*

Th. XXXIII. Circa citationem, quæ post personæ habilitationem & iudicis competentis aditionem tertium actum iudicii præparatorium constituit, sequentia foeminae jura singularia notanda veniunt. Et primò quidem secundum dispositionem *L. 22. ff. de in jus voc.* olim neq; impuberes puellas, vel ut *Brunnem.* ibi legendum existimat, neq; impuberes, neq; puellas alieno juri subjectas in jus vocare licebat, quoniam harum corpora tam violento modo tangere, apud Romanos improbatum fuit. *Wesenb. ad cit. tit. ff. n. 9.* Quod si autem quæras, cur tantum alieno juri subjectas, non autem simul sui juris puellæ in jus vocari potuerint, forte cum *Brunnem. cit. l.* responderi potest, has vocare omnino licitum fuisse, ita tamen, ut cum Curatore compareant. Deinde sicuti nec novam nuptam in jus vocari posse, expediti juris est, *L. 2. vers. præterea. ff. de in jus voc.* ita dubitari poterat, num in Saxonia, ubi maritus uxoris legitimam curatelam nanciscitur, in causa hujus ipsamet, vel maritus ejus citari debeat? Et certe ipsam mulierem citandam esse, clare ex illis patescit, quæ tradit *Paul. Bus. ad L. 1. §. 5. n. 5. ff. de Postul.* Quod si tamen nihilominus maritus citatus fuerit, citatio ideo non illegitima erit, quoniam & de jure Civili uxoris nomine maritus rectè citatur, *arg. L. 5. §. 3. ff. Quod vi aut clam. §. L. 21. C. de Procur.* quamvis è contrario pro marito uxor ejus citari nequeat, quoniam ideo aliquis citatur, ut veniat & se defendat, jam verò defendi uxores à viris, non viros ab uxoribus æquum est. *L. 2. ff. de Injur.*

E

Injur.



*Injur. Vid. Wibel de Contract. mul. Cap 3. §. 8. n. 152.* Porro ad hoc, ut mulier in termino emanens pro contumaci haberi queat, sufficit, citationem ejus marito insinuatam fuisse, tum quia hic uxoris suæ procurator est *L. 21. C. de Procur.* tum quod illa, quæ maritus scit, etiam uxori ejus nota esse præsumuntur; tum etiam, quod alias citationis insinuatio ad domum sufficiat. *Nicol. proc. p. 1. C. 4. n. 12. Menoch. Lib. 2. præf. 27.* Deniq; & illud notandum, quod etiamsi alias soli Curatori mulieris citationes efficaciter insinuentur, atq; exinde Curandæ à præstando aut contumaciâ ob omissum non excusentur. *Mevius p. 4. decis. 344.* hætenus tamen in foro Saxonico observantia hoc introduxerit, ut citatio ad actum magni præjudicii E. g. Recognitionem documentorum, non Curatori, sed ipsi mulieri insinuanda sit, si quis hujus emanentis contumaciam postmodum cum effectu juris accusare velit. Atque ita in causa Senatus Torgaviensis contra Barbaram Puttrichen coram Præfecto Svidnicensi agitata pronunciarunt non tantum Dn. Scabini Lipsienses Mense Jan. 1680. verum etiam Dn. Scabini Wittebergenses Mense Jan. 1681. hunc in modum: Daß die von K. Syndico wieder Befl. eingebrachte ungehorsams Beschuldigung noch zur Zeit nicht statt habe / Es ist aber selbige auf anderweit vorgehende und eine vollkommene Sächf. Frist in sich haltende Ladung / die ihr selbst zu *insinuiren* / zu erscheinen und vorigen Urthel Folge zu leisten schuldig. De quo in Electoratu Saxoniz nunc tanto minus dubitandum, postquam per novissimum mandatum *de anno 1691. §. 6.* discretè constitutum, quod mulierum citationes in genere omnes nec Curatoribus nec Procuratoribus earum, sed præcisè ipsis aut ad domum insinuari debeant.

Th. XXXIV. Mulier ita legitimè citata *comparere* tenetur sive per se sive per alium *Nov. 134. C. 9.* & quidem in foro Saxonico vel ipsa cum Curatore, vel nisi præsentia ejus necessario requiratur, uti in matrimonialibus, per solum Curatorem vel per Actorem à Curatore constitutum, vel deniq; per procuratorem, cui fœmina autore Curatore litem mand-

da-



davit. Quemcunq; autem modum fœmina elegerit, duo requiruntur ipsa Comparitio das Angeben & Positio das Rechtliche einbringen oder Berseßen. Sicuti autem prius in casu necessitatis & ubi nuda præsentia docenda, etiam sine Curatore à sola muliere fieri posse existimo, quod non actus principalis, sed tantum iudicii præparatorius sit. *Conf. Carpz. tit. 5. art. 3. n. 7. seqq.* ita quoad posterius observandum, quod etiam si in foro Saxonico Electorali Advocati statim ab initio primæ positionis nomina clientum suorum sub pœna 5. Imperialium exprimere teneantur; *Ord. proc. tit. 7. pr. vers.* auch bey ebenmäßiger Straffe &c. hoc tamen de solo Principalium, ne utquam verò de Curatorum nomine intelligendum sit. *Carpz. cit. l. n. 59. seqq.* Unde rectè dicitur: *Klägerin Sempronia Curatoris Actor, Favolenus, vel Klägerin Sempronia und dessen Curatoris constituirter mandatarius.*

Th. XXXV. Quod si ita fœmina non ipsa, sed per alium comparuerit, hic quidem more solito *libellum repetere*, non verò annexam eidem juramenti delationem in præjudiciū mulieris citra speciale mandatum eij9 omittere potest. Quippe omissio hæc quædam revocationis species est, *Dn. Svendend. ad Process. Fibig. p. m. 1299.* quæ omnino non secus, atq; delatio juramenti speciale mandatum requirit. Unde in repetitione libelli præmissis præmittendis dicere debet: *und will solche Klage mit allen Clausulen und dem petito, zu samt der annectirten Cydes delation brevitas studio verboten us anhero wiederhohlet haben. &c.*

Th. XXXVI. Circa *libelli emendationem* quæri poterat, num mulier in iis casibus, ubi alias actor non nisi refusus expensis libellum emendare potest, *vid. Carpz. p. 1. C. 11. d. 1. seqq. & tit. 6. art. 2.* hoc absq; expensarum restitutione facere queat ad exemplum pupilli aut rustici, quibus licere illud, diser tẽ statuit *Calvol. §. Actor. 3. Conclus. aur. 5. n. 15.* Verum uti sententia hæc merito nobis suspecta atq; per contrariam fori observantiam jam pridem reprobata est; ita nec mulieri hoc casu jus singulare affingemus, quia quod lege non cavetur, nec in



Practica habetur, L. 64. § 9. ff. Solut. matrim. & absq; illa nihil asseverandum est. L. 5. C. de Repud. L. 19. C. de Collat.

Th. XXXVII. Quod si in termino præfixo pars utraq; emanferit, terminus circumducitur, quod etiam tunc contingit, quando altera parte emanente fœmina comparuit quidem, sed sine Curatore. Quod verum est, etiam si partis adversæ contumaciam accusaverit. Nam cum ipsa personam standi in iudicio non habeat, nec alterius contumaciam accusare potest. Vid. Dn. Svendend. Disp. de Accus. contum. Cap. 3. §. 2. & 3. Non nisi ergo cum Curatore hoc facere valet. Sed quid si ipsa mulier emanferit, nec etiam per alium comparuerit, poteritne tunc perinde atq; alia persona pro contumaci haberi? Certe hoc casu mulierem ream non secus atq; minorem vel rusticum, modo non in vero & expresso dolo sit, à contumaciæ pœna absolvit Berl. p. 1. C. 17. n. 100. cuius sententiæ tamen praxis quotidiana contrariatur. Illud verius & notatum magis dignum, quod puerperium fœminarum tum præsens; tum proximè imminens; tum etiam non diu præteritum non tantum ipsas uxores L. 2. §. 4. ff. si quis Caut. in iud. sist. & c. sed & maritos Damboudor. in Pract. crimin. Cap. 25. n. 14. Mev. ad jus Lub. L. 5. tit. 4. art. 1. n. 24. non secus atq; funus & morbus conjugis fonticus Carp2. tit. 8. art. 2. n. 46. & 47. Mev. cit. n. 24. à contumacia excuset.

Th. XXXIIX. Progredior nunc etiam ad *Exceptiones*, ex quibus dilatoriæ hodie regulariter in primo statim termino & quidem adhuc ante litis contestationem omnes sub pœna amissionis opponi debent tam de jure Imperii, R. 7. de Anno 1634. §. Es solle auch ic. ibiq; Textor. Ex. 4. ch. 34. quam de Jure Saxonico Const. Elect. 3. p. 1. Ord. proc. tit. 11. §. 1. Resol. gravam. tit. von Justitiensachen §. 17. Quod si tamen minor, mulier (*ratione dotis illata litigans* vid. Elect. Decis. noviss. 4.) vel Ecclesia, alizq; personæ, quæ restitutione in integrum gaudent, exceptionem unam alteramve opponere omiserint, in alio termino non præcluduntur. Nicol. proc. p. 1. C. 3. n. 62. Tutius enim semper personis illis iudex alium terminum, quam non  
fine



sine prolixiori litigio restitutionem in integrum indulge-  
bit. *Vid. Carpz. tit. 13. art. 1. n. 178.*

Th. XXXVIII. Quemadmodum autem communiter ab  
Advocatis in prima statim positione Exceptio Gvarandæ  
nondum præstitæ & Satisfactionis pro reconventionem & ex-  
pensis opponi solet; ita circa utramque singulare quid in  
fœminarum civili Processu occurrens annotemus, necessum  
est. Et primo quidem de Gvaranda, num a mulieris Cura-  
tore vel hujus Actore præstari possit, dubium suboritur. Cu-  
jus discussio ex illius quæstionis decisione dependet, num ad  
Gvarandæ præstationem speciale mandatum requiratur?  
Quod Carpzovius *P. 1. Decis. 30. tit. 5. art. 2. n. 53. seqq.* rotundè  
quidem eapropter negavit, quod (1) nec litis contestatio, cui  
Gvaranda quoad effectum, æquiparatur, speciale manda-  
tum desideret, (2) jura, quæ de Gvaranda præstanda tra-  
ctant, nihil hac de re ullibi dicant, & denique (3) ex Gva-  
randæ præstatione nullum metuendum sit præjudicium.  
Verum ab hac tanti viri, cujus manes aliàs sanctè devene-  
ror, opinione in præsentis discedere, & contrariam tanquam  
veriore sententiam amplecti licebit. Nam sicuti (1.) Carp-  
zovius ipse *cit. Decis. n. 8. & d. art. n. 49.* pro generali regula po-  
nit, quod speciale requiratur mandatum omnibus illis in ca-  
sibus, in quibus magnum versatur præjudicium *arg. L. 25. §. 5.  
ff. de A. vel O. H.* ita Gvarandæ præstatio contra, quam ille  
statuit, utique est actus maximi præjudicii. Si quidem post  
eam, quod nec Carpzovius *cit. Decis. n. 11.* negare potuit, li-  
bellum mutare non amplius licet, nisi quis forte refusis ex-  
pensis, & priori actione relicta, novam proponere, aliumque  
libellum offerre velit. *Conf. Carpz. tit. 6. art. 2. n. 57.* ex quo certè  
non exiguum incommodum, sed grave satis damnum in a-  
ctorem redundare, nemo facilè inficias ibit. Cui accedit,  
quod præstatio Gvarandæ omnem ulteriorem juramentum  
deferendi facultatem penitus tollat. *Const. Elect. II. P. 1. Ord.  
Proc. tit. 18. pr. Carpz. tit. 11. art. 1. n. 97 seqq.* adeoque revera re-  
nunciationem quandam involvat, quæ tanquam res magni



momenti omninò speciale mandatum requirit. Et tandem si Gvarandæ finis atqve effectus primarius in eo consistit, ut actor reum, si is postea ex eadem causa conveniatur, in iudicio defendat, certo certius quædam cautionis species subest, quam exemplo cautionis rati speciale mandatum desiderare nemo ignorat. His argumentis præmissis nunc facile responderi poterit ad rationes Carpzovii, quarum *Prima* principium petit, dum, ad litis contestationem speciali mandato haud opus esse, pro vero ac immobili fundamento supponit, quod ipsum tamen propter easdem, quas supra dedimus, rationes, nondum concedi potest. *Secunda* vera non est, quoniam etiamsi nullibi ad Gvarandæ præstationem speciale mandatum Jura Saxonica expressis verbis requirant; illud tamen tacitè & implicite eo ipso volunt, dum magni præjudicii actum, qualem revera etiam Gvarandæ præstationem esse ostendi, absqve speciali mandato validè expediri non sinunt. *Tertia*, qua præstatio Gvarandæ exigui aut nullius præjudicii actus dicebatur, jam sua sponte corruit, postquam paulò ante fusè contrarium demonstratum est. Sed tamen, inquis, in foro illud nullibi observatur, quod tum experientia quotidiana docet, tum more suo aliquot præjudiciis comprobavit Carpzovius. *cit. Decis. 30. in fin.* Verum salva res est, modo perpendamus, quod sine Gvarandæ præstatione, si exigatur, Processus nullo modo continuari possit, jam verò Dd. pro regula tradant, eo ipso, dum litis persecutio alicui commissa, cætera quoque mandata esse, sine quibus lis peragi nequit. *L. 56. ff. de Procur. Brunnem. ad L. 25. ff. de Minor. n. 3. ibiq; alleg. Dd.* ut ita sub commissa litis persecutione revera jam præstandi Gvarandam mandatum contineatur, adeoque ipsa praxis cum theoria nostra sæviter consentiat.

Th. XXXIX. Videamus verò & *satisfactionem pro reconventionem & expensis*, quam ad evitandam fugæ suspicionem omnis actor præstare tenetur, nisi in Electoratu Saxonie vel districtu Principis, ubi lis agitur, immobilia aut his æquivalen-

val  
Ca  
po  
do  
do  
ad  
qv  
de j  
xor  
qua  
con  
dat  
illo  
ma  
un  
stic  
latu  
lati  
con  
Lau  
aut  
adm  
mat  
huj  
sola  
qvo  
one  
nul  
exit  
fen  
cho  
Don  
C. J.  
de  
ptia



valentia mobilia possideat. *Const. Elect. 5. P. 1. Ord. Proc. tit. 13. pr.*  
*Carpz. rit. 9. art. 5. n. 63 seqq.* Habetur autem pro immobilium  
 possessore etiam uxor ratione fundi dotalis, quem marito in  
 dotem dedit *per. L. 15. § 3. ff. Qui satisd. cog.* Tametsi enim hujus  
 dominium civile seu in exercitio *Ludwell. Diss. 6. th. 12. lit. B. Zaf.*  
*ad ff. de Rei vind. n. 10. Aegid. Hortens. ad pr. Inst. Quib. alien. lic. ac-*  
*quisiverit maritus d. pr. L. 13. § 2. ff. de fund. dot. L. 7. § 3. & L. 75. ff.*  
*de jur. dot. L. 23. C. eod.* naturale tamen seu in quiete retinet u-  
 xor *L. 30. C. eod. cit. Luāw. & reliqui modo citati Dd.* vi cuius tan-  
 quam possessionata satisfationis oneri exemta est. Unde a  
 contrario sensu sequitur, quod intuitu fundi dotalis a satis-  
 datione toties non liberetur uxor, quoties huic nil juris in  
 illo competit. Utpote si fundum venditionis gratia æsti-  
 matum marito in dotem dederit *arg. L. 10. § 4. ff. de jur. dot. L.*  
*un. § 15. C. de rei ux. act.* aut si tertius, qui pro uxore dotem con-  
 stituit, hanc sibi matrimonio soluto restitui, expresse stipu-  
 latus sit, tunc enim fundum dotalem non, uti in casu stipu-  
 lationis istius ommissæ *d. L. un. § 6. & 13.* uxor consequitur, sed  
 constituens actione ex stipulatu repetit. *d. L. un. § 13. Conf.*  
*Lauterb. Disp. ad L. Sciendum. 15. ff. Qui satisd. cog. th. 9.* Quod si  
 autem dotalis, multo magis paraphernalis fundus, etiamsi  
 administratio ejus marito commissa sit, uxorem constante  
 matrimonio ab hac cautione immunem reddit, cum fundi  
 hujus dominium non in maritum transferatur, sed penes  
 solam uxorem in solidum maneat. *L. 9. § 3. ff. de jur. dot.* Sed  
 quod hæctenus de fundo dotali dictum est, illud ad donati-  
 onem propter nuptias trahi non debet. Tametsi enim non-  
 nulli rei ita donatæ dominium statim in uxorem transire  
 existiment; verior tamen est sententia contraria, quam de-  
 fendit *Lauterb. in Disp. de donat. propt. nupt. th. 53. ibiq. cit. Ba-*  
*chov. ad Treutl. Vol. 2. Disp. 19. th. 8. lit. B.* Scipio Gentili *tr. de*  
*Donat. inter Vir. & Uxor. Lib. 4. Cap. 14.* Sutholt. *Diss. 6. Aphor. 44.*  
*C. J. A. tit. de jur. dot. th. 39. arg. L. Non nudus. 20. C. de Pact. L. 45. pr.*  
*de R. J. Nov. 61. C. 1. § 1.* ut adeo uxori in donatione propter nu-  
 ptias tantum specialis hypotheca tribuatur *L. 29. C. de jur. dot.*  
 Nov.



Nov. 61. C. 1. Nov. 109. C. 1. L. 12. §. 2. C. Qui pot. in pignor. cujus intuitu tamen a satisfaciendo non liberatur, quia & pignoratitius creditor jus in re habet L. 30. de noxal. act. L. 19. pr. de damn. infect. & rem in potestate habet L. 13. pr. L. 16. ff. de Usurp. & Usucap. nihilominus tamen, cum finita principali obligatione, quod spe citius fieri solet, jus pignoris statim extingvatur l. 43. ff. de Solut. a satisfaciendo onere non immunis est. L. 15. §. 2. ff. Qui satisf. cog. Porro ne prætermittamus, quid circa dotalitium hoc casu jura nostra disponant, pro fundamento notandum est, quod dotalitium nihil aliud, quam usufructus sit. Hartm. Pistor. P. 2. quest. 24. n. 54. Vid. Carpz P. 1. C. 28. def. 93. & P. 2. C. 42. d. 2. Ex quo protinus hoc consecrarium fluit: Ad quodcunq; usufructuarius, ad illud etiam vidua intuitu dotalitii tenetur. Quemadmodum ergo ille; ita & hæc de Jure Civili ad satisfaciendum obstricta est. L. 15. §. 1. ff. Qui satisf. cog. Hillig. ad Donell. Lib. 23. C. 9. lit. G. Schult. Obs. 23. n. 36. & 37. Zanger. de Except. P. 2. C. 21. n. 33. quia, cum usufructus multis modis & facile extingvi possit, eoqve finito fundus cum fructibus pendentibus ad proprietarium revertatur, reo tali casu absque satisfaciendo actoris haud sufficienter prospectum esset. Carpz. tit. 9. art. 5. n. 164. Aliud autem in foro Saxonico obtinet, ubi cum fructus industriales etiam nondum percepti in compensationem adhibiti a defuncto laboris apud heredes ejus remaneant, & ea propter reus de expensarum & reconventionis jure satis abundè tutus sit, nec usufructuario, nec consequenter viduæ dotalitium habenti, si agat, cautio hæc imponenda est. Carpz. tit. 9. art. 5. n. 166 seqq. Berl. P. 1. C. 20. n. 35. & 36. Illud adhuc circa satisfaciendi materiam non inutiliter quæri poterat, annon mulieris Curator, ejusdem nomine agens, non tantum si Curanda, verum etiam si ipse solum immobilia possideat, a cautionis onere relevetur? Et certe tutores quod attinet, hi pupillorum nomine litigantes, sive pupilli eorum, sive ipsimet tantummodo immobilia possideant, neutro casu ad satisfaciendum tenentur. L. 15. §. 5. ff. Qui satisf. cog. cujus rationem tradit Lauterb. in Disput. ad



ad d. L. 15. Cap. 3. ib. 10. ubi ib. seq. 11. & Cap. 4. ib. 5. illud, quod de tutore & pupillo dicitur, etiam ad minorum & similibus curatores extendit arg. L. 33. ff. de furt. Sed non immerito ve- reor, ut hoc in mulieris curatore procedat, tum quod jus il- lud in singularem pupillorum favorem tutori concessum sit aliquid specialissimum, quod ultra casum expressum exten- di non debet; tum quod Curatores fœminarum atque mi- norum non in omnibus conveniant, sed magna sit inter i- psos differentia, quam e. g. deprehendere licet circa admini- strationem, satisfactionem, tacitam hypothecam &c. tum denique, quod Curator mulieris æquiparetur Procuratori, hic autem, etiamsi ipse possessionatus sit, non admittatur, nisi ut vadem se interponat, aut ipse principalis quoque bona immobilia habeat, Confer. Wesenbec. ad ff. tit. Qui satisd. cog. num. 11.

Th. XL. Sed veniamus secundum Legem methodi no- stræ ad litem denunciationem, quæ alias *Laudatio autoris* dici- tur, nihilque aliud est, quam litem motæ significatio ei, adver- sus quem regressum habeo, iudicii simul suscipiendi gratia facta. Uti verò exinde sponte sua hæc regula fuit: *Quicumque mihi ad evictionis præstationem obligatur, illi quoque litem denun- ciare possum*; ita de fœmina maritata in specie pronunciare licebit: *Quoties uxor marito suo evictionem rei dotalis præstare tenetur, toties hic illi litem de dote motam denunciare potest*. Non- nisi autem tribus casibus maritum de dotis evictione agere posse, notum est, hosque ex L. 1. C. de jur. dot. ita breviter eli- citemus: Aut *æstimatò*, aut *inæstimatò* res in dotem data fuit. *Priori casu* re evicta maritus adversus uxorem ex empto agit. L. 16. ff. de jur. dot. quia *æstimatio* vera venditio est L. 10. §. 4. eod. *Posteriori casu*, ubi dos *inæstimata* data, tum demum mari- tus de evictione agit, si (1) de præstatione hujus aut expressè *Dn. Svendend. ad Eckolt. §. 3. ff. tit. de Eviçt.* aut tacitè conventum, quod ultimum tunc factum censetur, quando dotis consti- tutionem promissio ejus præcesit: quippe qui promittit, se obligat, hæc autem obligatio non nisi re soluta tollitur. *Brun- nem ad cit. L. 1.* Cum e contrario, ubi sine præcedente pro-  
E
missio



missione res dotalis simpliciter traditur, uxor se obligare noluit, & consequenter ad evictionis præstationem non tenetur. (2) Si uxor sciens rem alienam in dotem dederit, adeoque versetur in dolo. *Brunnem. cit. l. propter quem tamen adversus illam non, uti alias contra extraneum, de dolo, sed tantum in factum actio competit. d. l. i. in fin.* Nam in honorem matrimonii famosa actio adversus uxorem non datur. *L. 2. ff. de act. rer. amot.*

Th. XLI. Litis denunciationem excipit soror ejus, *Nominatio*, quæ nihil aliud est, quam actus judicialis, quo reus reali actione ob rem alieno nomine à se possessam conventus dominum rei indicat, simulque petit, ut ipse dimittatur & lis in illum transferatur. *Vid. Lauterb. Disput. de Nominat.* Unde luculenter satis apparet, in quantum à litis denunciatione differat nominatio, quod accurate admodum demonstravit Dn. Svendend. *ad Process. Fibig. p. m. 405. lit. n.* ubi in fine diversam in utraqve pronunciandi formulam subjecit. Nam in litis denunciatione sententia ita concipitur: daß litis denunciatur litis denunciante gebührend zu vertreten schuldig. In nominatione autem ita pronunciari solet: daß Besl. ex lite billich zu lassen: Es ist aber Klägern N. gebührend zu belangen unbenommen. Sed ut propius ad rem accedamus, notanda hic venit nonnullorum opinio, qui etiam maritum, si non de jure suo in dote, sed re dotali ipsa seu dominio ejus conveniatur, uxorem nominare posse existimant, uti *Berl. P. 1. C. 24. n. 116.* & *Myns. ad C. ult. X. Ut lite contest. n. 41.* Verum cum rem dotalem in totum suo nomine possideat, atque ipse etiam verus rei dotalis dominus sit *pr. Inst. Quib. al. lic. L. 75. de jur. dot. L. 13. §. 2. ff. de fund. dot. al.* idcirco ratione ejus conventus uxorem nominando judicium neutiqvam declinare potest. *arg. L. 9. C. de R. V. Lauterb. in cit. Disput. th. 9.* Alia sed altioris indaginis quæstio est, an & quando vidua controversi dotalitii dominos nominare possit? Ad quam distinguendo inter diversos casus respondendum est. *Aut enim convenitur ratione juris in re, quod ipsi in dotalitia competit; aut ratione*

pro



proprietatis & dominii, quod ad fundi proprietarium pertinet; aut tandem ratione utriusque. *Priori casu sine effectu vidua proprietarium nominat, tum quod controversum jus dotalitii in usufructu consistens non alterius, sed suo proprio nomine possideat; tum quod ipsa, non verò proprietarius, juris, de quo agitur, dominium habeat, nemo autem nisi dominus rei controversæ nominari possit. L. 2. C. Ubi in rem act. Secundo casu, si vidua ratione proprietatis fundi, in quo dotalitium habet, conveniatur, nominando proprietarium liti sese subtrahere valet. Siquidem tali casu non de fœminæ conventæ, sed proprietarii jure agitur, ipsamque rem vidua, tanquam usufructuaria non proprio, sed alieno nomine possidet L. 9. §. 2. ff. de Precar. Tertio casu vidua, si ratione pleni dominii, i. e. tam usufructus ipsi competentis, quam ratione proprietatis ad fundi dominum spectantis convenitur, proprietarium quidem ad proprietatem suam defendendam vocare seu nominare potest; ipsa verò propter necessariam sui juris propugnationem motam sibi litem subterfugere nequit, cum ita quoque res ejus propria & quam suo nomine possidet, in controversiam deducatur. Confer. Vultej. ad L. 2. C. Ubi in rem act. n. 6. & 7. & cit. Dd. à Lauterbach. in Disput. de Nominat. tb. 8.*

Th XLII. Succedit nunc *interventio*, quæ definitur, quod fit tertii alicujus ad litem motam pro suo jure intercessio, *Vid. Rosbach. in prax. civil. tit. 48.* Atque vel ante terminum vel in termino fieri potest. Hoc posteriori casu fit sine scriptis, sed tantum ore tenus, & tum quidem obtinet hoc generale assertum: *Quicumq; non habet personam standi & facultatem agendi in judicio, ille ad interveniendum non admittitur. Brunnem. in Proc. Civil. C. 13. n. 3.* Priori autem casu fit in scriptis, atque tum literas illas fœminam etiam solam & absque Curatore subscribere posse, eapropter non dubito, quia non minus, quam Arresti petitio, quæ a sola fœmina fieri potest *Carpz. tit. 5. art. 3. n. 70. seqq.* propriè actus judicialis non est, sed saltim futuri judicii præparamentum. Cæterum sicuti quocunqve



cūqve tempore intervenire licet, etiam, postquam sententia in rem judicatam transit, in ipso executionis actu *Carpz. tit. 4. art. 2. n. 17.* ita si pro mariti debito fiat executio in bona dotalia vel paraphernalia, uxor interveniendo se justè opponit *L. 15. §. 4. ibiq; Brunnem. n. 24. ff. de Re jud. L. 29. C. de jur. dot. Coler. de Proc. Execut. P. 2. C. 3. n. 252. Vid. omnino Mev. P. 4. Deris. 59. & 107.* Sed num etiam fœminæ curator generalis ubiqve intervenire valeat, non immerito quæritur, cum ea, quæ speciale mandatum desiderant, expedire non possit, ad interveniendum autem generale mandatum non semper sufficiat. Per distinctionem ergo respondendum erit. *Aut enim principaliter* i. e. neutri litigantium assistendo, sed pro se mulieris causam agendo intervenit, & tunc, cum plane separatam actionem novumqve Processum instituat *Covarr. Pr. quæst. C. 14. Berl. P. 1. C. 25. n. 58. seqq. Umm. de Process. Disp. 11. n. 11. seqq.* generalis autem fœminæ Curator jam ad omnes istius lites constitutus sit, hoc casu sine speciali mandato ad interventionem admittitur. *Aut accessoriè tantum*, i. e. alterutri litigantium assistendo saltim intervenit, ubi, cum litem in eo statu ac termino, in quo tempore interventionis versatur, suscipere debeat, *C. ult. X. ut lit. pend. in 6. Myns. Cent. 3. Obs. 72. Berl. d. l. n. 57. Rosbach in Prax. Civil. tit. 47. n. 16.* ulterius discipendum est, num forte in isto termino actus præjudicialis & magni momenti expediendus sit, nec ne? *Priori casu* speciali mandato curatoris opus esse, nemo facilè negabit; *Posteriori* autem constitutio ejus ad omnes fœminæ lites in genere facta procul dubio sufficit.

Th XLIII. Sequitur *dilationum impetratio*, quæ nihil aliud quam rei agendæ in aliud tempus rejectiones sunt & olim variè, hodie autem potissimum in *Citatorias & Probatorias* dividuntur. *Vid. Brunnem proc. civil. Cap. 6.* Dilatio Probatoria iterum *vel Legalis* est, ut in foro Saxonico terminus sex septimanarum & trium dierum, *eine Sächs. Frist. Vid. Carpz. tit. 13. art. 1. n. 46. seqq. vel Conventionalis*, quam partes præsertim in compromissis sibi mutuo concedunt, *vel deniq; Judicialis*, quæ ab



ab ipso iudice ex justa causa conceditur, atq; ex fori obser-  
vantia etiam quarta vice, non nisi tamen cum exactissima  
causæ cognitione & prævio malitiæ juramento impetrari  
potest. *Vid. Carp. tit. 13. art. 1. n. 156. seqq. Nicol. proc. p. 1. C. 49.* Hoc  
jusjurandum de jure communi quidem etiam per procura-  
torem validè præstatur *arg. L. 9. §. 6. ff. de jurejur. L. 12. §. 4. C. de  
Reb. Cred. modo speciale mandatum habuerit C. fin. de jur. ca-  
lumn. in 6. Cap. 4. de Procur. in 6. Hillig. ad Donell. L. 18. C. 12. lit. KK.  
& adversarius non contradixerit arg. L. 3. §. fin. ff. de jurejur. L. 2.  
§. 4. de Reb. Cred. Conf. Carpz. p. 1. C. 12. d. 39.* Ast in foro Saxonico  
uti alias nullum; ita nec hoc juramentum per procuratorem,  
quamvis speciali mandato instructum, sed semper in perso-  
na propria præstari debet, muß sein Gewissen mit seiner selbst  
Hand reinigen. *Land R. L. 1. art. 46. vers. wo es aber 2c. Ord. proc.  
tit. 18. §. ult. verb. Es soll auch ein ieder Eyd 2c. Carpz. tit. 11. art. 2.  
n. 25 seqq.* Unde oppidò conficitur, quod in Saxonia à dicti  
juramenti præstatione nunquam non arceatur mulieris Cu-  
rator; extra eandem verò in locis, ubi itidem foemina liti-  
ganti Curatore opus est, vel ipse vel etiam, quem una cum  
foemina ad hunc actum constituit, procurator admittitur  
quidem, sed tum demum, si speciale mandatum producere  
possit.

Th. XLIV. Ratio instituti jubet me promovere pedem,  
propriusq; accedere ad *juramentum calumniae*, nec non ad *con-  
testationem litis*. Verum his diu immorari haud opus erit,  
cum omnia, quæ modo de juramento pro quarta dilatione  
impetranda intuitu Curatoris notata fuerunt, facilè ad jura-  
mentum calumniæ; ea verò, quæ supra de Gvarandæ præ-  
statione proposui, non in commode ad litis contestationem  
hoc loco applicari possint. His itaq; missis recta ad Proba-  
tionem progredior via, ubi & latior & latior differendi cam-  
pus sese aperiet. Quemadmodum autem *Probatio* describitur,  
pvid sit rei dubiæ legitimis argumentis iudici facta osten-  
sio; ita si hæc argumenta arte probantis ex ipsa causa dedu-  
cantur, *Artificialis*; sin verò tantum extrinsecus assuman-



tur, *Inartificialis* probatio dicitur. Ad illam refertur *Præsumptio*, quæ est probatio artificialis per argumenta non necessaria sed tantum probabilia facta: Ad hanc verò spectant *Confessio*, *Jusjurandum*, *Instrumentum*, *Ocularis inspectio* & denique *testimonii dictio*. De quibus omnibus nunc pro instituti ratione videbimus.

Th. XLV. Et quidem primò subsequentes de foeminis præsumptiones secundum ordinem literarum proponere, operæ pretium esse existimo:

Acclamatio puellæ præsumptionem inducit, eam in domo violatam vel vulneratam esse. *Masc. de Prob. Vol. 1. Concl. 16.*

Acquisita per mulierem constante matrimonio ad evitandam turpis quæstus suspicionem de bonis mariti acquisita præsumuntur. *Masc. Concl. 30. & 214. Alciat. de Præsumpt. Reg. 3. præf. 26. Gabriel. L. 1. de Præsumpt. Concl. 15. Myns. Cent. 2. Obs. 92.*

Alimenta uxori ægrotanti per virum præstita præsumuntur ex pietate & amore conjugali profecta. *Mascard. Concl. 76. & seqq.*

Bona uxoris præsumuntur Paraphernalia, si super illis non appareat de dotis constitutione. *Mascard. Concl. 211.*

Bona penes viduam tutricem reperta præsumuntur ex bonis pupilli, quæ administravit, quæ sita esse. *Masc. Concl. 212.*

Bona uxoris præsumuntur viro in dotem data, si illa huic dixerit: do tibi bona mea. *Idem Concl. 215.*

Concubitus præsumitur exinde, si vir & mulier una cubuerint, aut in eodem thoro quis cum puella jacuerit. *Idem, Concl. 312.*

Concubina illud, quod acquisivir, ex bonis amasii acquisivisse intelligitur. *Idem. Concl. 340.*

Donatum à sponso sponsæ præsumitur donatum sub conditione tacita, si sequatur matrimoniū. *Menoch. L. 3. præf. 19.*

Dotasse filiam præsumitur pater de propriis facultatibus, non de bonis ipsius filix. *Alciat. Reg. 1. præf. 17. & 26. Mascard. Concl. 156. 573. & 1150. Menoch. L. 3. præf. 15. & 17.* Quemadmodum & frater, si pro sorore, quacum bona communia habet, dotem constituerit, eam de suis, non de illius bonis dotasse cen-



censetur. *Mascard. Concl. 813. Menoch. de Arbitr. jud. quest. Cas. 88. num. 40.*

Extraneus, qui foeminam dotavit, nec sibi soluto matrimonio dotem restitui expresse stipulatus est, eandem mulieri donasse praesumitur. *Mascard. Concl. 571.*

Maritus in dubio praesumitur supervixisse uxori. *Vasq. L. 1. Contr. Cap. 32. n. 15.*

Maternitas non praesumitur, sed probanda est, & mater filium diligere praesumitur. *Mascard. Concl. 1021.*

Mulier corporis magis, quam bonorum prodiga praesumitur. *Aym. Cravetta. Concl. 862. n. 3.*

Mulieres contrahentes praesumuntur facile laedi, & ea propter iisdem facile subveniendum est. *Menoch. L. 3. pres. 82. Mascard. Concl. 1080.*

Natus quis praesumatur prior ex duobus liberis, masculo & foemina, uno partu editis, tradit *Menoch. L. 6. pres. 51. Mascard. Concl. 1087.*

Partus viduae ultra undecim menses praesumitur ex alio, quam ex marito conceptus. *Alciat. Reg. 1. pres. 40. nisi adhuc in principio undecimi mensis editus sit Caranz. de partu Cap. 14. n. 33. Carpz. p. 4. C. 27. d. 15. Vid. Myns. Cent. 6. obs. 40. aut vidua sit honestae vitae, & extra omnem suspicionem illiciti concubitus vixerit: Sic enim aliquando & in principio duodecimi mensis editum partum pro legitimo pronunciavit inclyta, quae Francof. ad Viadrum floret, Jctorum Facultas. Illustr. DN. STRYK. in Colleg. privato ad Lauterb. p. m. 15.*

Servitus mulieri concessa praesumitur etiam concessa marito. *Menoch. L. 2. pres. 27. n. 5.*

Vidua emens in continenti i.e. intra annum luctus ad evitandam turpis questus suspicionem praesumitur emere de pecunia viri. *Mascard. Concl. 1408.*

Vidua fornicatrix idem fecisse praesumitur marito vivente. *Alciat. Reg. 2. pres. 9.*

Virginitas tanquam naturalis qualitas praesumitur, etiam si aliter non probetur. *Mascard. Concl. 1419. Menoch. L. 6. pres. 89.*

Virgo



Virgo non amplius esse præsumitur, quæ lac perfectum in mammis habet. *Vid. Glafen. ad Constit. Crim. Carol. V. art. 36.*

Uxor non præsumitur pretii partem recepisse, etsi una cum marito rem alienaverit. *Menoch. L. 3. pres. 22.*

Th. XLVII. Descendamus nunc ad probationis inartificialis species, quarum prima *Confessio* propria esse vulgo statuitur, quæ etiam si multis ea propter, quod confessus pro iudicato habeatur, & contra eum parata sit executio *L. 1. L. 3. in fin. L. 6. §. 2. ff. de Confess. L. un. C. eod.* probata & quavis major, excellentiorq; probatio dicatur; propriè tamen loquendo probatio non est, quia non tam probat, quam à probationis onere actorem liberat. *Marant. p. 6. art. 5. tit. de Confess. num. 1. Wesenb. ad ff. tit. de Probat. n. 4.* Quicquid tamen sit, Confessio hæc communiter in iudicalem & extrajudicalem dividitur, quarum illam potissimum hoc loco considerabimus; hanc verò, licet à scopo nostro paulisper alienam, non penitus negligemus. Fœminæ ergo uti in foro Civili, utramq; confessionem quod attinet, planè non alio, quam masculi, jure utuntur; ita de jure Saxonico, ubi sine Curatore confessæ fuerint, nunquam sibi prædicant. *Conf. omnino Wibel. de Contract. mul. C. 3. §. 8. n. 159. seqq.* Non per confessionem iudicalem, quia (1) non habuerunt personam standi in iudicio, adeoq; ad actum iudicalem inhabiles fuerunt. Contra ergo quoties fœmina in iudicio sola stare potest, toties ejus confessio etiam absq; Curatore valida est. uti e.g. in Matrimonialibus, Criminalibus &c. Unde in his ultimis nec à quæstionibus immunis est. *Carpz. p. 3. quæst. 118. n. 27.* (2) quia nec pupillus *L. 6. §. 5. ff. de Confess. nec minor arg. L. 2. Qui legit. person. stand. §. 2. Inst. de Curat. L. 54 pr. ff. de Rejud.* quibus hoc casu fœminæ æquiparantur, ex iudiciali confessione sua tenentur. *V. d. Lauterbach. Disput. de Confess. th. 10. 11. & 13.* Nec deinde per Extrajudicalem confessionem mulier absq; Curatore in Saxonia sibi nocet, siquidem hoc jure (1) sola alienare, seu ut prescius loquar, donare nequit *Wibel. cit. l. §. 2. n. 74. seqq.* Ubi cunq; autem donatio prohibetur, ibi quoq; confessio prohibita



bita censetur. *Marta. Digest. novis. tom 1. tit. Confessio. Cap. 66.*  
 Ratio quia confessio vim donationis habet *L. 47. ff. de oper. li-*  
*bert. L. 29. §. 1. ff. de donat. L. 12. ff. de Novat. & Deleg. L. 4. pr. ff. de*  
*Interrog. in jur. fac. (2) ex confessione sua quilibet obligatur.*  
*L. un. C. de Confess. L. 1. L. 6. pr. & §. 1. ff. eod. fœminam autem ex*  
*negotio sine Curatore gesto non obligari, sole meridiano*  
*clarius est. Vid. Constit. Elect. 15. p. 2. ibiq; Carpz. Conf. Berl. p. 2.*  
*C. 17. n. 37. & 46. Tiraquell. de Leg. Connub. Glos. §. n. 112. seqq. ubi*  
*n. 116. hanc regulam generalem ponit: Quicumq; alienare vel*  
*se obligare prohibetur, ille nec alienationem aut obligationem con-*  
*fiteri potest. Hæc cum ita sint, multo minus Curatoris con-*  
*fessio fœminæ præjudicare potest, cum nec pupillo tutoris,*  
*nec minori Curatoris, nec deniq; domino procuratoris*  
*confessio noceat. L. 6. §. 4. ff. de Confess. junct. L. 9. §. 4. ff. de*  
*Interrog. in jur. fac. nisi (1) speciale mandatum confitendi ha-*  
*buerit L. 20. in fin. pr. ff. eod. L. 1. & fin. C. de Error. Advoc. aut (2)*  
*præsente & non contradicente domino in jure confiteatur.*  
*arg. L. 6. & 18. ff. Mand. d. L. 1. & fin. aut (3) per Magistratum ad*  
*confessionem compulsus fuerit arg. C. fin. X. de Confess. & L. 39.*  
*pr. ff. de Procur. aut (4) confessio ejus rata postmodum habita*  
*fuerit. Gothofred. ad L. 25. §. 1. ff. ad L. Aquil. lit. D. & ad L. 1. §. 4. ff.*  
*de Confess. lit. II. Brunnem. ad cit. L. 6. n. 7. & 8. Eckolt. ad ff. tit. de*  
*Confess. §. 1. in fin. Quæ omnia ad Curatorem nostrum non in-*  
*commode applicari possunt.*

Th. XLVIII. Sed dispiciendum etiam de *Jurejurando* e-  
 jusq; delatione, relatione, acceptione & subsequenti præsta-  
 tione. *Delationem* illius quod attinet, hæc pro fundamento  
 habet vulgatam regulam: *Quicumq; transigere nequit, ille nec*  
*juramentum deferre potest. Brunnem. in proc. Civil. Cap. 23. n. 2. &*  
 3. Ratio quia jusjurandum est species transactionis *L. 2. ff. de*  
*Jurejur.* Unde cum fœmina, uti inferius ostendetur, in Sax. si-  
 ne Curatore transigere nequeat, ideo ibi non nisi cum auto-  
 ritate ejus juramentū deferre valet. Imprimis cum ad judici-  
 alē actū, qualis & juramenti delatio est, per se & sola sit in ha-  
 bilis *Carpzov. p. 1. C. 12. d. 38. Conf. Wibel. de Contract. mul. cap. 3. §. 8.*  
 n. 191. Tametsi autem pupillorum atq; minorum nomine, si

G

hi



hi inopia probationum laborent, & causa alioquin desperata foret, ipsi tutores & Curatores juramentum deferre possint. *L. 35. L. 17 ff. de jurejur. Carpz. tit. 11. art. 1. n. 92. seqq.* etiam absq; ullo alio mandato *Carpz. cit. l. n. 145.* attamen mulieris Curator ad delationem juramenti non admittitur, nisi vel ipse specialiter; vel autoritate ejus à muliere procurator, ad hunc actum constitutus sit. *Carpz. d. l. n. 147. seqq. Bachov. ad Treutl. Diss. 21. tb. 11. lit. F.* De relatione & Acceptatione juramenti idem judicium esto. Verum circa præstationem ejus plura notanda veniunt. Sicuti autem oblatio ad illam præcedere debet; ita fœmina vel per Curatorem aut procuratorem ad hunc actum in specie constitutum, vel etiam ipsa non nisi tamen cum autoritate Curatoris sui ad juramenti præstationem sese offerre potest. Quod si secundum receptam judiciorum nostrorum consuetudinem per literas fiat, has offerrentes propria manu subscribere debent, aut si fœmina literas nesciat, ad evitandam juramenti desertionem nomen ejus ab alio subscribi potest, ipsa verò literas istas in persona Judici vel Actuario, seq; simul ore tenus ad jusjurandum offerat, subjecta petitione, ut hæc sua oblatio cum omnibus circumstantiis imprimis quando & quomodo facta, diligenter ad Acta notetur. Idem de Curatore dicendum in illo casu, ubi hic literas nescit, sola autem fœmina scribere potest. Nam pari modo, uti hæc sese offerre; ita ille autoritatem suam in judicio præsens ore tenus interponere potest. Nec existimandum, quod hoc casu mulieris negotio Curatoris autoritas ex intervallo accedat, cum illud ex parte fœminæ non prius, quam actualis oblatio facta, gestum esse dicendum sit. Sed jam ad ipsam juramenti præstationem nos convertemus, quæ jure communi, si adversarius consentiat, etiam per procuratorem speciali mandato instructum in alterius animam fieri potest. *Vid. Gerb. Felthmann. in tr. de Promot. absent.* Ast in foro Saxonico omnia juramenta per ipsam partem in propria persona præstari debent. *Vid supra tb. 43.* Quod etiam ad nostras fœminas extenditur, quæ nec per procuratorem

rem



rem nec per Curatorem suum jurare valent. Land R. L. 1. art. 46. vers. wo es aber den Frauen zu dem Eyde kömmt / die sollen sie selber thun/und nicht ihre Vormünder etc. Carpz. p. 1. C. 12. d. 38. n. 4. Nec excusatur hoc casu gravida, cum jurejurando nullum partui inferatur damnum. Mev. p. 5. decis. 89. Quicquid autem partui non nocet, illud licitè matri infertur. Unde, & partui nondum vicinam relegari posse, certum est. Habn. ad Wesenb. tit. de stat. hom. n. 3. Conf. Richt. Decis. 7. n. 3. & Caranz. de Part. Cap. 2. §. 4. n. 30. Porro tametsi regulariter in loco judicii vel coram Commissariis ad hoc deputatis juramentum præstari debeat, tam de jure Civili, quàm Saxonico L. 12. pr. & §. 4. C. de Reb. Cred. arg. L. 15. ff. de jurejur. Ord. proc. tit. 18. §. ult. verb. und also die Eydere Carpzov. tit. 11. art. 3. n. 91. Vid. Donell. L. 24. C. 18. ibiq; Hillig. lit. D. & Cap. 22. ibiq; Hillig. lit. A. foeminae tamen honestiores, valetudinariae, nec non vicinae partui egregiarum personarum privilegio gaudent L. 5. ff. de Jurej. ibiq; Brunnem. n. 2. & Gothofred. lit. D. adeoq; in privatis suis ædibus coram personis à judice ablegatis jurare possunt Nov. 124. C. 1. ibi: si verò mulier. Tessaur. Decis. 210. Col. decis. 115. n. 5. Ruger Ruland. de Commiss. p. 4. Lib. 6. cap. 10. n. 4. Ulmm. Disp. 14. th. 10. n. 55. seqq. Sicuti autem alias foemina ideo, quod propter corporis imbecillitatem citius fateri præsumatur, prius semper, quam masculus, torqueri solet arg. l. 8. ff. de Question. Zanger. de Quest. & tortur. Cap. 4. n. 27. Pruckmann. ad L. 9. ff. de stat. hom. part. 1. membr. 1. art. 14. n. 4. ita è contrario in tortura spiritali ob animi levitatem, qua mulier facilius quam masculus pejeratura præsumitur, hic semper prius purgationis juramentum præstare debet. Carpz. p. 1. C. 22. d. 18. Atque ideo etiam tunc, quando inter masculum & foeminam lite gliscente alterutri juramentum suppletorium deferendum est, hoc masculo potius, quam foeminae adjudicandum esse existimant Berlich p. 1. C. 30. n. 20. Carpz. p. 1. C. 23. d. 7 & Tiraqvell de Leg. Connub. Gloss. 1. n. 22. ibiq; all. g. Dd. nisi forsitan rei, super qua juramentum exigitur, accuratorem præ masculo noti-



titiam habuerit foemina. *Tiraqvell. cit. loc. Pruckmann. ad L. 9. ff. de stat. hom. pag. 1. m. 1. art. 20. Wibel. de Contract. mul. Cap. 3. S. 8. n. 201. seqq.* Caeterum tamen jure Canonico Laici tactis; Clerici autem propositis Evangeliiis, manuq; ad pectus apposita jurent; moribus tamen in plurimis locis mares erectis dextrae, aut hac deficiente sinistrae *Beier. Class. 6. Disp. 8. tb. 119.* duobus digitis &, ut quidam volunt, pollice, ( *ut per tres illos SS. Trinitas, per duos reliquos anima & corpus denotentur*) foemina autem, ut viris sese subjectas esse demonstrent, apposita dextra ad pectus sinistrum jurent. *Carpz. tit. 11. art. 3. num. 105. Balduin. de Casib. conscient. L. 2. C. 9. cas. 6.*

Th. XLIX. Sequitur tertia inartificialis probationis species, quae fit per *Instrumentum* seu documentum *L. fin. C. de Probat.* quod tamen non aliter obligat, nisi a persona habili conscriptum sit. Sicuti ergo a pupillo vel minore sine tutoris autoritate vel Curatoris consensu factum instrumentum non valet. *Bornit. de Instrument. part. 2. Lib. 2. C. 12. Menoch. Lib. 5. praesumpt. 20. num. 35.* ita nec illud documentum, quod mulier in Saxonia sine Curatore conscripserit, alicujus momenti esse potest. *Bornit. cit. loc. Wibel. de Contract. mul. Cap. 3. S. 8. num. 186. & 234.* usque adeo, ut nullitas haec etiam post sententiam a muliere allegari queat. *Wibel. cit. l. n. 235. & Dd. ad L. 1. C. de jur. & fact. ignor.* Quemadmodum autem foeminae documenta vel producunt, vel producta ab adversario recognoscere aut jurato diffiteri debent; sic eorundem productio & recognitio non tantum ab ipsa muliere cum autoritate Curatoris, verum etiam per Curatorem aut procuratorem ejus ad hunc actum specialiter constitutum fieri potest. *Carpz. part. 1. C. 17. d. 18. Berlich. p. 1. C. 44. num. 17.* Facta autem recognitione a Curatore in genere ad litem constituto, ista formula in pronunciando adhiberi solet, quam supra jam tradidi *tb. 23.* Illud hic singulare est, quod etiam si regulariter non nisi in loco judicii recognitio fieri debeat, *L. 4. S. 5. ff. de Edend. Carpzov. tit. 14. art. 2. num. 76. seqq.*  
atta-



attamen honestioribus fœminis etiam domi suæ coram Notario vel Actuario judicii sumptibus eorum, qui id postulant, producta instrumenta recognoscere permissum sit. *arg. L. 15 ff. de jurejur. Carpz. cit. l. n. 85.* Quod denique juratam instrumentorum diffessionem attinet, hanc non secus atque recognitionem etiam per Procuratorem speciali mandato instructum de jure communi fieri posse non dubito, vel hæc unica ratione motus, quod hoc jure etiam per alios jurare liceat. In foro Saxonico autem, ubi secundum superius dicta jusjurandum in persona propria præstandum, etiam non nisi ipse principalis instrumentum juratò diffiteri potest. Quod usque adeò verum, ut nec fœminæ parcatur, si Curator vel Procurator ejus manum & sigillum neget. *Ord. Proc. tit. 25. §. Weil es auch vers. oder in der Person eydlich zu diffitieren Carpz. tit. 14. art. 3. n. 38. seqq.*

Th. XLIX. Subjicienda nunc *ocularis inspectio* seu probatio per evidentiam, quæ omnium optima est *L. 8. §. 1. ff. Fin. regund. L. 7. §. 1. ff. de Admin. tut. Barbos. L. 13. C. 13. Ax. 1. Dornsperg. in Syntagm. jur. L. 1. c. 2. Brunnem. in Proc. civil. C. 22. n. 1. cum semper etiam post rem judicatam admittenda sit. Brunnem. cit. l. n. 2. Conf. Ord. Proc. tit. von Beweisung durch Augenschein und Rechnung 28.* Quemadmodum autem hæc *ocularis inspectio* multis in casibus, quos *Dornsperg. cit. l. & Brunnem. cit. l. n. 4.* recenset, decerni solet; ita tunc maximè utilis est, quando de virginitate & graviditate probanda agitur. Virginitatem quod attinet, hæc quidem, ut supra dictum, ceu qualitas, quæ a natura inest, præsumitur; interdum tamen & potissimum in matrimonialibus in dubium vocatur, cui excutiendo non aliud promptius invenitur remedium, quam *ocularis inspectio*. Signa verò, ex quibus virginitatis integritas aut corruptio colligi solet, cum plura sint, quam ut hic commodè recenseri queant, hoc nomine tantum citasse sufficiat *Paul. Zach. Quæstion. Medico-legal. Lib. 4. tit. 2. quæst. 1. 2. & 3. & Severum Pinæum de integritatis & corruptio*



*ruptionis virginum notis.* item Melch. Sebizium *de notis virgin-  
nitatis.* Quod si verò de graviditate alicujus foeminae aga-  
tur, tribus potissimum casibus ocularis inspectio locum ha-  
bet. Utpote (1) ex Rescripto Antonini, quando maritus u-  
xorem, quae divertit, ex se praequantem dicit, haec autem  
graviditatem negat. *L. 1. pr. §. 1. seqq. ff. de insp. ventr.* (2) Ex  
edicto Praetorio, quando mulier, mortuo marito, se gravidam  
ex illo dicit, atque ideo, ne partus suppositi suspicio oriatur,  
ventris inspectio instituitur. *cit. L. 1. §. 10.* (3) Ex constitutione  
criminali Caroli V. art. 36. quando puella de infanticidio su-  
specta quaestionibus subjicienda venit, tunc enim, ut tor-  
tura locum inveniat, praeter corpus delicti requiritur, ut  
non tantum ex mammis puellae suspectae lac copiosum atque  
perfectum emulgeri queat; verum etiam, ut obstetrices il-  
lam in locis ac membris debitis diligenter visitaverint, atque  
sufficiencia puerperii signa deprehenderint. *Vid. Clasen. ad  
cit. art. 36.*

*Th. L.* Ultima in artificialis probationis species est *testi-  
monium*, circa quod cum foeminis litigantibus singulare ali-  
quod jus non competat; hic loco ejus tantum de probatione  
in genere pauca notabimus. Et primò quidem notissimum  
est, quod auctori incumbat probatio *Carpz. tit. 13. art. 1. n. 2. seqq.*  
inter varias tamen hujus regulae limitationes Calvolus *S. A-  
ctor. 3. Conclus. aur. 3. n. 10.* etiam hanc exhibet, nisi auctor privi-  
legiata persona sit, utpote pupillus aut mulier. Quod si enim  
haec indebitè solutum contradicat, tunc, quod in singularem e-  
jus favorem constitutum est, reo injungitur probatio, solu-  
tum fuisse debitum *L. 25. §. 1. ff. de Probat.* Deinde quamvis ter-  
mino probatorio praeterlapso nemo regulariter ad probatio-  
nem amplius admittatur *Const. 16. Part. 1. verb. Da solches von  
ihme nicht geschehe &c. Ord. Proc. tit. 20 §. Und diemell &c. foemi-  
nam tamen in causa dotis illatae occupatam, etiam post illum  
terminum, imo post publicatas attestaciones, ad proban-  
dum admittunt Dd. Saxonici. *Carpz. P. 1. C. 16. d. 18. §. C. 21. d. 6.  
& tit. 13. art. 1. n. 191. seqq.* saltem propter imminens beneficium  
restit-*



restitutionis in integrum, cujus prolixum Processum iudex alium terminum præfigendo facile antevertere potest ac debet. *Carpz. cit. art. 1. n. 178.*

Th. LI. Et tantum de probationibus, quas *attestationum disputationes* excipiunt, de quibus hic nihil, quod ad rem nostram spectat, afferri poterit. His igitur relictis aggrediamur *Conclusionem in causa*, quæ nihil aliud est, quam causæ in iudicio ventilatæ ad decisionem iudicis submissio. *Cap. 5. X. de Caus. poss. & propr. Umm. ad Proc. Disp. 19. tb. 2.* seu potius est actus iudicii, quo omnibus ulterioribus probationibus & defensionibus renunciatur. *Scacc. L. 2 de iud. Cap. 12 n. 16. Conf. Roding. Pandect. Cameral. L. 3. tit. 36.* Ex quo, si Conclusio species renunciationis est, quæ sine speciali mandato fieri nequit, statim conficitur, quod tunc, si causa per Procuratorem agatur, ad Conclusionem ejus speciali mandato opus sit. *Brunnem. in Proc. civil. Cap. 26. n. 5.* Sicuti hoc ipsum Jus Camerale expressè requirit. *Ord. Camer. P. 3. tit. 23. § 6. s. 1. & s. 2. & s. 3.* Quod si ergo in foro Saxonico fœmina per Curatorem compareat, hic in causâ validè concludere non potest, nisi ad hunc actum in specie constitutus sit, vel accedente auctoritate ejus mulier Procuratori speciale mandatum dederit. Quamvis hoc ipsum in praxi apud nos malè non observari soleat.

Th. LII. Postquam ita in causâ conclusum, prævio *irrotationis termino* Acta ad Collegium Sapientum transmittuntur, ut ab illis concipiatur sententia. Hæc verò ut valeat, inter alia requiritur, ut personæ litigantes sint habiles ad standum in iudicio & auscultandum, quæ ipsis ferenda, sententiam. Quemadmodum ergo defuncto tutore in pupillis, ita mortuo curatore in fœminæ causa sententiæ publicatio tam diu differenda, donec alius tutor vel Curator priori substitutus fuerit. *Vid. Carpz. tit. 16. art. 3. n. 34. seqq.* Alias enim sententia, nisi forte pupillo vel fœminæ utilis sit *L. 14. C. de Procur. Carpz. cit. art. 3. n. 39.* ipso jure nulla est. *Vid. supra tb. 8.* Et quamvis, uti inferius demonstrabitur, *tb. 58.* mulier contra

tra



tra sententiam sibi nocivam etiam absque Curatore sola ap-  
 pellationem interponere queat; attamen cum modum &  
 tempus appellandi plerumque ignoret, magis ipsi consuli-  
 tur, si nulla dicatur, ac si per appellationem corrigatur i-  
 stiufmodi sententia. Quod si autem femina jam Curatorem  
 habeat, & nihilominus tamen in publicationis termino sine  
 illo sola comparuerit, sententia procul dubio valide publi-  
 catur, hoc videlicet effectu, ut contra eandem in rem judi-  
 catam transeat, ipsique decendum statim a publicationis  
 die currere incipiat. Habetur enim tali casu pro contuma-  
 citer emanante *arg. L. 6. ff. Qui satisd. cog.* contra quem non se-  
 cus atque presentem publicata sententia in rem judicatam  
 transit *Carpz. tit. 16. art. 3. n. 25.* Cæterum una interdum fer-  
 tur sententia, quamvis duæ institutz fuerint actiones, uti in  
 Processu Reconvensionis, de qua etiam secundum legem  
 methodi nostræ paucis in thesi sequenti agendum erit.

Th. LIII. Tametsi verò reconveniri possint omnes acto-  
 res, etiam qui foro privilegiato gaudent, quia hæc jurisdic-  
 tionis prorogatio non hominis, sed legis est *Nicol. in Proc.*  
*P. 1. C. 13. n. 5. & 6. Bruunem. in Proc. civil. C. 10. n. 4.* secus tamen  
 est, si non suo proprio, sed nomine alterius egerint. *Molin.*  
*gnat. de Reconvent. quest. 17. Berl. P. 1. C. 22. n. 13.* Quemadmo-  
 dum ergo procurator aut tutor *Carpz. p. 1. C. 7. d. 6.* ita etiam  
 Curator feminae de proprio debito reconveniri nequit. Ma-  
 joris verò momenti quæstio esse videtur, num etiam illo in  
 casu, ubi vidua beneficio *L. un. C. Quand. Imper. inter pupill.*  
 usa est, reconventio locum inveniat. Sed hic distinctè re-  
 spondendum est: Aut enim adhuc ante aut post litis  
 contestationem vidua ad Principem provocavit. *Priori*  
*casu* non tantum exceptionem satisfactionis pro reconven-  
 tione opponi; verum etiam ipsam reconventionem institui  
 posse, nihil impedit. *Posteriori casu* exceptio illa non am-  
 plius locum habet, quia hodie omnis dilatoria non nisi ante  
 litis contestationem regulariter opponi potest. *Vid. supra th.*  
 37. Ipsa verò reconventio, quamvis adhuc coram inferiori  
 ju.



judice promissa sit, nihilominus tamen coram superiori, quem vidua adiit, ideò validè instituitur, quia sic tota causa ad illum devoluta est. Quoties autem hoc factum, toties etiam coram iudice appellationis, cui viduæ provocatio non adeo dissimilis esse videtur, reconventioni locus est. *Molinat. de Reconv. quest. 35. Vid. Brunnem. cit. l. n. 7. & Nicol. Proc. cit. l. n. 9.* Quibus accedit, quod in foro Civili proprius & primarius Reconventionis finis atque effectus sit, ut duæ actiones uno Processu tractentur, unaque determinantur sententia. *C. 1. & 2. X. de mut. pet. Ord. Camer. P. 3. tit. 39. Carpz. tit. 6. art. 3. n. 4.* quod non fieret, nisi etiam coram illo, ad quem provocavit vidua, reconventio institui posset. Et tandem si vidua indistinctè, sive agat, sive conveniatur, hoc suum privilegium exercere potest *d. L. un. C. ibiq. Perez. n. 6.* certè etiam reconventionis Processum statim ad superiorem devolvere valet.

Th. LIV. Vidimus hucusque varios actus, qui civilem Processum tum antecedere; tum verò concomitari solent. Superest, ut paucis dispiciamus de actibus, eundem consequentibus, utpote Transactione, Executione atque sententiæ impugnatione. Etiam si verò *Transactio* statim ab initio cœpti iudicii inter partes a iudice tentanda sit, tam de jure Civili, quam Saxon. *Nicol. Proc. P. 1. C. 3. n. 45. Carpz. tit. 10. art. 1. n. 13. seqq. Ord. Proc. tit. 1. §. 2.* plerumque tamen non nisi post aliquot terminos lapsos a defatigatis atque processum pertæsis desiderari & celebrari solet. Quemadmodum autem de jure Civili fœmina sola; ita de jure Saxonico non nisi cum Curatore transigere potest. *arg. L. 1. §. 9. ff. Si quid in fraud. Patron. & Const. 15. P. 2. Conf. Wibel. de Contract. mul. Cap. 3. §. 8. n. 52. Simoncell. de Decret. in contract. min. ad bib. L. 2. tit. 7. n. 89.* etiam in causa seu remissione injuriarum *Vid. Wibel. cit. l. n. 54. & 55.* quamvis, quod bene notandum, etiã fœminæ injuriatæ Curator solus valide transigere atque Curandæ suæ illatas injurias remittere queat *arg. L. 54. §. fin. & L. 56. §. 4. ff. de furt. cum injuriarum actio semel extincta nequidem per restitutionem in*

H

inte-



integrum resuscitari possit. *Berl. P. 5. C. 70. n. 15. Harpr. ad §. 12. Inst. de Injur. n. 49. Carpz. P. 2. quæst. 97. n. 49.* Cæterum quid Curator mulieris, si hæc sine ipso vel eodemi contradicente transegerit, facere debeat, tradit *Mev. P. 5. decis. 100.*

Th. LV. Sed progrediamur ad Executionem, quæ sicuti in actione reali per rei ablationem expeditur *Ord. Proc. tit. 39. §. Nemlich* &c. ita in actione personali ex pluribus actibus, utpote Executione in specie sic dicta, Immissione, Sequestratione, Arrestatione, Taxatione, Subhastatione & adjudicatione constat. *Vid. Coler. Proc. Execut. Roderic. Suarez in L. Post rem judicatam. ff. de Re jud. Petr. Peck. de jure sistendi. Gail. de Arrest. Imper. Angel. de Perusio & Vicent. Carocius in tr. de sequestr. Anton. Matth. de Auction. Philippi & Posthii tr. de subhastat. Nicol. Proc. P. 3. per tot.* Circa executionem illud nobis notandum venit, quod, etiamsi hæc in solidum fieri debeat usque ad ultimum quadrantem. *Nicol. Proc. P. 3. C. 5. n. 2.* uxor tamen non minus, quam socia, beneficio competentia gaudeat, quoties sive intuitu dotis promissa. *L. 17. §. 1. ff. solut. matrim. Conf. L. 1. ff. de R. N. sive ob aliam causam. L. 20. ff. de Re jud.* marito condemnanda venit. *Nicol. cit. l. n. 8.* Præterea uti non executio; ita nec immisio pro mariti debito in uxoris bona sive dotalia sint, sive Paraphernalia, fieri potest. *Coler. de Proc. execut. P. 2. C. 3. n. 250. Carpz. tit. 25. art. 1. n. 40. seqq.* siquidem ad illam rei inter alios actæ effectus extendi nequit: Cujus nomine enim contractum non fuit, in ejus bonis nec executio fieri potest. *Carpz. cit. l. n. 41. Coler. cit. C. 3. n. 253. seqq.* Quin & in Criminalibus non aliud obtinet, unde si mariti bona ob perduellionis crimen publicantur, uxori tamen dos sua salva manet. *L. 5. §. 5. C. ad L. Jul. Majest. Gail. L. 2. Obs 86. n. 1. Carpz. P. 3. C. 20. d. 23. n. 3.* In ipsos fructus tamen ex re dotali perceptos, si jure Civili separati sint, aut Jure Saxonico ultima cultura adhibita fuerit, executio contradicente licet muliere, rectè intenditur. *arg. L. Pro omnibus 20. C. de jur. dot. nisi hæc forsitan deficientibus aliis mariti bonis tum dote sua, tum necessaria exhibitione imposterum caritura videatur. Coler. cit. l. n. 268.*

Cz-



Cæterum pro mariti debito nec in ipsius bona, quæ uxori tacite vel expresse pro dote hypothecata sunt, hac invita executio intendi potest. Cur enim alias mulieri licitum esset, istiusmodi bona a marito de facto alienata, etiam durante adhuc matrimonio toties vindicare, quoties ille ad inopiam vergit. *L. 29. in fin. cum Auth. Donationem. C. de jur. dot. Vid. Coler. cit. Cap. 3. n. 263. & 264.* Sed nunc dispiciendum, an etiam pro uxoris debito in rebus dotalibus penes maritum existentibus Executio aut Immissio fieri queat? Et cum Gvid. Papa *Decis. 447.* distingvendum erit, num ante initum matrimonium & dotis constitutionem debitum contractum sit, ubi, si mulier omnia bona sua in dotem constituit, executio in hac eapropter fieri potest, quia bona non intelliguntur, nisi deducto ære alieno. *L. Mulier bona. 72. pr. ff. de jur. dot. L. 39. §. 1. ff. de V. S.* An verò post contractum matrimonium & factam dotis constitutionem æs alienum conflatum sit, quippe tunc executio in rebus dotalibus fieri nequit, tum quòd maritus rei dotalis dominus sit *pr. Instit. Quib. al. lic. L. 23. C. de jur. dot.* tum quòd maritus pro uxore conveniri nequeat *per Rubr. & Nigrum C. Ne uxor pro marito vel maritus pro uxore & c.* Atque ad hanc ipsam sententiam defendendam inducitur supra cit. Papa *arg. L. 69. §. 6. ff. de jur. dot. & L. ult. §. 1. in fin. ff. de his, quæ in fraud. credit. Vid. ibi Brunnem. Comment.* Ne verò interim debitoris inopia creditoris actionem excludat, executio in bona Paraphernalia, si quæ adsint, fieri potest. vel tenebitur uxor, se dissoluto matrimonio ex dote ad se reversa debitum soluturam esse, *satisdare cit. L. ult. §. 1. vers. aut certe: vel si hoc fieri nequeat, forte sufficet juratoria cautio juxta Auth. Generaliter. C. de Episcop. & Cleric. Gvid. Papa cit. dec. 447. in fin.*

**Th. LVI.** Tertia executionis latè acceptæ species est *Sequestratio* scil. necessaria, quæ autoritate judicis fit, etiam parte invita. *L. 7 §. fin. ff. Qui satisd. cog. & ab initio Processus, ne hic ab executione incipiatur, regulariter institui nequit. L. un. C. de probib. sequestr. C. 1. X. de sequestr. poss. nisi justa aliqua causa subsit e.g. periculum rei amittendæ aut metus inanis litis.*



*Meo. p. 9. decis. 88. seqq.* Unde puella, si duo ejusdem matrimo-  
nium ambient, deponi potest. *Barbos. L. 17. Cap. 24. ax. 9.* Idem  
est in virgine nondum traducta ad domum sponsi, quæ huic  
ad consummandum matrimonium agenti, quasi coactè con-  
senserit, exceptionem metus opponit, nec priusquam de  
causa principali cognitum, ad copulam cogi, sed interim, ne  
adversarius vim pudicitiz inferat, sequestrari debet. *Cap. 14.*  
*X. de Sponsal. & Cap. 14. X. de Probat. Vid. Gail. L. 1. O. 112. n. 16.* Quin  
etiam mulier nupta tunc probæ ac honestæ alicui matronæ  
custodienda committitur, quando vel lite pendente cum  
primo, jam alteri vult nubere *Angel. de Castro Consil. 32. inter ma-*  
*rimonialia*, vel etiam mariti, ne malè ab eo tractetur, sævitiã  
metuit. Quo casu, donec lis super causa principali compo-  
natur, vel idonea de non amplius offendendo cautio præste-  
tur, interim sequestrari debet. *C. Ex transmissa. 8. & C. Literas.*  
*13. § fin. X. de Restit. spoliat.* Quod autem reliquum est, hic non  
prætereundum, quod mulier, etsi alias stante matrimonio  
dotem repetere nequeat, *L. 2. & r. ff. & C. solut. matrim.* ejus  
tamen nec non fructuum exinde perceptorum sequestratio-  
nem etiam durante adhuc matrimonio tunc validè apud ju-  
dicem urgere possit, si maritus ipsius aut facultatibus labi,  
aut res suas malè administrare incipiat. *Coler. de Proc. Execut.*  
*P. 1. C. 2. n. 113. Vid. Gail. L. 2. O. 83. n. 17.*

Th. LVII. Sequestrationi affinis est *Arestatio*. Vid. *Dorns-*  
*perg in Syntagm. jur. L. 3. Cap. 10. p. m. 551. in fin.* Quemadmodum  
autem bona uxoris pro mariti debito arestari non possunt  
*Rebuff. tom. 1. ad Ord. Reg. art. 6. gloss. 3. n. 51.* nisi in se debitum illud  
susceperit *Petr. Peck. de jur. sistend. Cap. 5. n. 19.* ita mulier etiam si  
olim de jure Codicis non secus atque masculus, nisi bonis  
cedere mallet, in carcerem conjiceretur *L. pen. verb. utriusq.*  
*sexus. C. Qui bon. ced. poss. ibiq. Bald. & Salic.* hodie tamen, ne in  
solitudine pudicitia insidiis exponatur *Coler. cit. C. 2. n. 191.* pro-  
pter civile debitum tam jure Communi, quam Saxonico re-  
gulariter arestari nequit. *Nov. 134. Auth. Hodie novo jure. C. de*  
*Custod. reor. Berl. P. 1. C. 75. n. 30. seqq. Gomez. de Contract. tom. 2. Cap.*



11. n. 51. ne quidem ex pacto, licet cedere bonis recuset  
*Coler. d. Cap. 2. num. 99. & 100. Carpz. Part. 1. C. 21. d. 8.*  
 Unde nec huic privilegio renunciari, adeoque nec tutricem,  
 etiam si S<sup>cto</sup> Vellejano aliisque pro sexu suo proditis benefi-  
 ciis renunciaverit, ob pupillare debitum incarcerari posse,  
 verius est secundum Gomez. *ad C. Mulieres. n. 23. X. de jud. in 6.*  
*Hippol. de Marfil. in Praet. crimin. §. Attingam. n. 65. Covarruv.*  
*Lib. 2. Var. Resol. C. 1. n. 3. Menoch. de arbitr. jud. quest. L. 1. quest. 88.*  
*n. 12. contra quam statuit Gail. L. 2. O. 90. n. 3. & 4. Bart. in Auth.*  
*Matri. C. Quando mul. tut. offic. n. 13. & in tr. de Carcer. n. 4. vers. u-*  
*num tamen.* Verum quemadmodum in terris Electoratus  
 Saxonici mulier, quae de jure suo admonita auctore Curatore  
 ad carcerem se obligavit, pro debito proprio, imo etiam, si  
 S<sup>cto</sup> Vellejano renunciavit, alieno, utique; iuste carceribus  
 mancipatur, *Carpz. p. 1. C. 21. d. 9. & C. 22. d. 19.* ita femina vilis  
 & quae per impudicam vitam se privilegio sexus indignam  
 reddidit, indistinctè ad instar masculi in custodiam publicam  
 detrudi potest, nisi forte maritata sit, adeoque in honorem  
 matrimonii incarcerari non debeat. *Svarez. Commun. opin.*  
*lit. M. n. 254. Manz. in Special. jur. sub. Rubr. Matrimonii Favor.*  
*n. 33. ibiq. alleg. Dd.*

Th. LVIII. Alia executionis species est *Taxatio*, de qua  
 vid. *Nicol. proc. p. 3. C. 9. n. 33. seqq. & Mev. in discuss. levam.*  
*inop. debit. C. 4. Sect. 13.* Alia denique; *Subhastatio*, qua institu-  
 ta omnibus, qui non impediuntur aut in specie a lege prohi-  
 bentur, licitari permissum est, etiam alieno nomine, modo  
 speciale mandatum exhibeant. *Nicol. in proc. p. 3. C. 9. n. 13.*  
 Quemadmodum ergo Curator mulieris in genere ad om-  
 nes lites constitutus, nomine hujus sine speciali mandato  
 ad licitationem non admittitur; ita hic quaeri potest, annon  
 tali casu mulieris rati habitio, quae mandato aequiparatur  
*L. 12. §. 4. ff. de solut.* ad hoc, ut licitatio valeat, sufficiens sit?  
 Et certè contractum a solo Curatore, absente femina cele-  
 bratum, quem ea deinceps ratum habuit, validum esse, ex  
 iis constat, quae tradunt *Bald. in L. Si quis mihi. 25. §. 4. de A.*



vel O. H. Wesemb. ad ff. de autor. tut. n. 5. Hering. de Fidejuss. C. 7. n. 421. & Berl. p. 1. Decis. 148. Ast enim verò cum in præsentis licitationis casu cæteris licitantibus per mandati defectum jus aliquod quæsitum sit, hoc autem illis invitis per fœminæ ratihabitationem, quæ nunquam in præjudicium tertii valet, Carpz. tit. 17. art. 2. n. 21. & seqq. auferri nequeat; idcirco licitatio a solo Curatore facta per mulieris ratihabitationem non conualescit. Est tamen pro Curatore cautela, ut clanculum pro fœmina, apertè verò nomine suo licitetur, quod jura ipsi permittunt. Carpz. tit. 25. art. 4. n. 49. seqq. Et tantum etiam de Executione, cujus ultima species, videlicet *Adjudicatio* nihil nobis circa fœminam singulare sistit. Hac ergo relicta tandem quoque considerabimus sententiæ impugnationem, quæ ut plurimum per Appellationem, vel Leutationem, Restitutionem in integrum atque Nullitatis querelam fieri solet. De singulis nunc ordine videbimus.

Th. LIX. *Appellare* & *Leuterare*, uti regulariter cuilibet licet; ita etiam mulieribus de jure communi permittitur. Num verò idem sine Curatore in foro Saxonico facere queant, ideo non immerito dubitatur, quia fœmina sola ordinariè personam standi in judicio non habet. Verum, cum ea, quæ in favorem ejus introducta sunt, in odium ipsius retorqueri non debeant per L. 6. C. de LL. prætereaque etiam minor absque Curatore appellare valeat Nicol. in proc. p. 2. C. 1. n. 4. proculdubio idem juris erit in fœmina. Unde tametsi appellationis schedulam sola subscripserit; ritè tamen hæc interposita erit. Sicuti aliquando pronunciatum in summo Appellationum judicio, quod Dresdæ est, in causa *Annen Catharinen von Schleinitz* / contra *Johann Gottfried Hanitschen*. Cæterum Curator fœminæ ad instar Procuratoris generalis nomine Curandæ suæ appellationem quidem interponere potest. Nicol. in proc. p. 2. C. 1. n. 14. Quod si autem illud per negligentiam non fecerit, tenetur mulieri ad interesse, atque tunc, si non solvendo sit, illa restitui debet in integrum. Vid. Nicol. proc. p. 2. C. 13. n. 5. Conf. supra th. 23. in fin. & 27. n. 3. & 4.

Th.



Th. LX. Datur autem *Restitutio in integrum* propter sexus fragilitatem mulieribus jure Justiniano multis in casibus *L. ult. C. de jur. & fact. ignor. ibiq;* Raphael Fulgos. *L. 1. S. ult. ff. de Edend. junct. L. 1. ff. de in integr. restit. L. 1. C. de Uxor. milit.* Joh. Mauritius *de Restit. in integr. cap. 83.* Etiam si peritiores consulere potuerint *Sfortia Oddi de Restit. in integr. p. 1. q. 10. art. 8.* nisi quid forte circa formam actus alicujus neglexerint, quoad hoc enim non excusantur, *Gloss. in L. Ambiguitates 24. C. de Testam. ibiq;* *Dd.* & tum demum in integrum restituuntur, si peritiores adeundi copiam non habuerint. *Brunnem. ad d. L. ult. C. de jur. & fact. ignor. n. 5.* Casus verò istiusmodi, in quibus jus commune mulieribus ad exemplum minorum succurrit, congescit *Sfortia Oddi cit. l. qv. 10. art. 2.* & *Beatus Dn. Jacobi, Saxonicus* quondam *Papinianus in Disput. de Auxilio restitutionis in integrum sexui feminino competente. Cap. 5.* Sed ne specialem casum requirere opus sit, in genere tunc feminae restituendae censentur, quando de damno vitando agitur. *Brunnem. cit. loc. n. 4. ibiq;* *alleg. Dd.* An verò hæc juris Civilis dispositio etiam in foro Saxonico, si femina negotio gesto Curatorem adhibuit, locum inveniat, graviter hætenus inter Doctores controversum est. Sed nobis in præsentilicitum erit cum *Carpzovio p. 2. C. 15. d. 33.* ob rationem ibi traditam amplecti negativam, quæ, si per *Decis. Elect. novis. 4.* causam illatæ dotis exceperis, in Electoratu Saxoniae praxi quotidiana confirmatur. Vid. tamen *B. Dn. Jacobi cit. Disput. Cap. 2.* quorsum, ne disputatio hæc in nimiam molem excreseat, benevolum lectorem brevitatis studio remittimus, illud tantum adhuc notantes, quod femina in hoc restitutionis judicio non illum, cujus autoritate negotium jam rescindendum olim gestum fuit, sed plane alium novum Curatorem adhibere debeat, idq; ideo, quoniam nemo proprio facto contravenire potest, etiam illi, quod pro alio fecit. *L. 25. ff. de Adopt. L. 10. ff. de Rebus eorum, qui sub tutel. ibiq;* *Dd.*

Th. LXI. Ultimo loco consideranda venit *querela nullitatis*, quæ tam de jure Communi, quam Saxonico foeminis non



non minus, quam masculis conceditur, in primis autem in Saxonia tunc locum invenit, quando in causa mulierum absq; Curatore processum est. *Vid. supr. tb. 8.* Nam & propter defectum atq; inhabilitatem principalium litigantium sententiam nullam esse, satis abunde ostendit Vantius *de Nullit. sentent. & process. tit. de mod. & ord. vid. process. & cognosc. & c. n. 4.* Cumq; præterea nec illa sententia subsistat, quæ contra inutiliter citatum lata est *Dornsperg. in Syntagm. jur. L. 3. C. 2. n. 13. ibiq; cit. Dd.* mulier autem nunc in Saxonia Electorali mediante Curatore inutiliter citetur *per mandat. Elect. noviss. sub dato Dippoldiswaldæ d. 18. Febr. 1691. publicatum*, satis luculenter apparet, quod hæc tali casu, ubi tantum Curatori citatio ejus insinuata est, ipsa autem non comparuit, adeoq; per sententiam pro contumaci declarata fuit, nullitatis querelam validè instituere possit. Plura de nullitate sententiarum desiderantem ablegamus ad supra citati Sebastiani Vantii peculiarem hac de re conscriptum libellum atq; Joh. Andr. Dornspengeri Syntagma juris *Lib. 3. Cap. 2 per tot.*

Th. LXII. Nunc transeundum esset ad varias processus species, in primis autem ad Concursum creditorum, nec non Arresti & literarum collybisticarum processum, ubi multa scitu necessaria circa fœminas notari poterant. Ast enim verò cum disputatio hæc præter spem atq; intentionem meam in nimium jamjam excreverit corpus, idcirco, ne fœtus ingenii monstrum fiat, hic filum tractationis abrumpo, atq; Supremo Numini, coram quo primus olim fœminæ primæ processus ventilabatur, æternas pro concessis viribus gratias solvo. Sit, precor humillimè, justissimus ille judex, coram quo temerè litigare non licet, omnium Actionum, quas meo aut alieno nomine instituo, principium semper atq;

FINIS.



us  
es  
o-  
b  
E-  
e-  
m  
lli  
nit  
vi  
m  
m  
as  
is  
ue  
er,  
tis  
o-  
ofi  
us  
i-  
e-  
m.  
e-  
n,  
le  
&  
q;  
n,  
ie  
m  
at,

05 A 1818

ULB Halle 3  
003 787 46X



5b


Worm











Q. D. B. V.  
DISPUTATIO INAUGURALIS  
DE

**JURE FŒMINÆ**  
LITIGANTIS IN FORO TUM  
CIVILI, TUM SAXONICO,

Quam  
Supremo favente NUMINE  
ex Decreto atq; autoritate

*Illustris ꝑctorum Ordinis in alma Wittebergensi*  
**ACADEMIA**

SUB MODERAMINE

**DN. G. MICHAELIS HEBERI,**  
J.D. & Antecessoris nec non Curia Provincialis,  
Scabinatûs & Facult. Juridicæ ASSESSORIS,

**PRO LICENTIA**

Summos in Utroq; Jure Honores &  
privilegia DOCTORALIA consequendi

*D. 13. Julii Anno M DC XCIII.*

publicæ eruditorum disquisitioni submittit

**HENRICUS ERNESTUS SEEBACH**

LongoSalz. Thuring.  
IN AUDITORIO MAJORI,  
Horis ante- & pomeridianis.

WITTEBERGÆ, LITERIS JOHANNIS WILCKII, Acad. Typogr.